




00083090



THESAVRVS
GEMMARVM ANTIQVARYM
ASTRIFERARVM
CVM
ATLANTE FARNESIANO
VOLVMEN III.



00083090

ATLAS
FARNESIANVS

MARMOREVS

INSIGNE VETVSTATIS MONVMENTVM

COMMENTARIO

IO. BAPTISTAE PASSERI

I. C. NOBILIS EGVBRINI . VIC. PISAVR.

INLVSTRATVS

ADCEDVNT EIVSDEM

DISSERTATIONES XV.

IN SELECTAS GEMMAS ANTIQVAS

ASTRIFERAS


ET IN PRAESTANTIORA INEDITA CIMELIA



FLORENTIAE . ANNO . IVBIL . CIO . IO . CC . L .

EX . OFFICINA . TYPOGR . ALBIZINIANA

PRAESIDVM . ADPROBATIONE



T. V. 16.

Sardae inico. x Museo Victorio

E D E N C H V S
DISSERTATIONVM

QVAE

IN HOC VOLUMINE III. CONTINENTVR

DISSERTATIO I.

DE GEMMA PASTORALI. Pag. 81.

DISSERTATIO II.

ISIS GORIANA INLVSTRATA. Pag. 9

DISSERTATIO III.

DE ANIMARVM TRANSVLECTIONE. Pag. 117.

DIS-

*DISSERTATIO IV.**DE ARA AVGVSTEA. Pag. 137.**DISSERTATIO V.**DE GEMMA GAMELIA. Pag. 155.**DISSERTATIO VI.**NILVS ABRAHEVS. Pag. 163.**~~DISSERTATIO VII.~~**IN GEMMAM MAGICAM. Pag. 171.**DISSERTATIO VIII**NOX DIONYSIACA. Pag. 181.**DISSERTATIO IX.**DE IOVE LV CETIO. Pag. 191.**DISSERTATIO X.**DE GEMMA TABERNARIA. Pag. 201.*

DISSERTATIO XI.

DE GEMMA ENCOLPIA MONSTROSA. *Pag.* 211.

DISSERTATIO XII.

ΙΕΡΟΘΡΟΝΟΣ. SIVE DE THRONO SACRO.
Pag. 218.

DISSERTATIO XIII.

DE GEMMIS ASTRIFERIS VETERVM
CHRISTIANORVM. *Pag.* 233.

DISSERTATIO XIV.

DE SORTIBVS CHRISTIANORVM. *Pag.* 250.


DISSERTATIO XV.

DE POCVLIS ASTRIFERIS VETERVM
PROFANIS ET SACRIS. *Pag.* 279.

INDEX RERVM QVAE IN HOC VOLVGINE III.
OBSERVANTVR ET INLVSTANTVR. *Pag.* 293.

A T L A S
A N T I Q V V S
F A R N E S I A N V S
E M A R M O R E I N S I G N I S
C O M M E N T A R I O I N L V S T R A T V S
A B I. C.
I O A N N E B A P T. P A S S E R I O

Vol. III.



5. 17. 16.

UMBERTO ALOYSIO RADICATO

EX COMITIBVS COCONATI ET RPELLAE
SANCTAE PISAVRENSIS ECCLESIAE

PONTIFICI

AMPLISSIMO AC PRAESTANTISSIMO
PONTIFICIO SOLIO ADSISTENTI

IOANNES BAPTISTA PASSERIVS

EIVSDEM PRAESVLIS A COGNITIONIBVS

D. D. F.



VVM decimo labente anno,
ex quo ad SANCTAM PI-
SAVRENSEM ECCLESIAM
gubernandam divinitus datis
es, VOTA DECENNALIA
solveremus; iamque pro
tua incolumitate, PRAESVL
AMPLISIME, nuncuparemus
VICENNALIA; animo fu-
biit, ut aliquo obsequii do-
cumento observantiam in Te meam comprobarem. Quum
vero per id tempus ATANTIKON AOTON, quo exi-

mium Antiquitatis monumentum inlustratur, vulgandum cuperem, illum Tibi scire institui; non eum tamen, quem, referente Plutarcho, Solon in Aegypto peregrinus ab illius terrae Sacerdote audiit sibi recitari, in quo veterum maiorum suorum egregia facinora adhuc sibi ignota, admiratus est: quippe qui novis virtutibus adipiscendis magis intentus, quam vetustis intelligendis, ex modesta quadam incuria negligenda putaverat. Quod si tantundem Tibi meus iste ΑΤΛΑΝΤΙΚΟΣ ΛΟΓΟΣ in praesentia praestaret, audires equidem, ANTISTES PRAESTANTISSIMĒ, remotissimam Tui Genes originem, Gentemque a Germanis Imperatoribus Insularum donatam, diuturno fere octo saeculorum dominatu, ipsoque amplissimo polluisse; et, quod ceteri per fabulas adstruunt, id Familiae Tuae nuper supremo Subalpini Senatus Consulto confirmatum. Hinc maximi illi Proceres, et belli, et pacis, et Pontificalibus ornamentis insignes, qui Gentis Tuae nomen maximis quibusque coaequarunt. Hos inter, ILLUSTRIS PRAESVL, Tu mihi ob oculos potissimum versaris, quippe qui cum familiari consuetudine (quae Tua clementia est) virtutes Tuas probe compertas habeam, nilque frequentius admirem quam pietatem, prudentiam, gravitatem, bonarum artium promovendarum curam, et illam Ecclesiasticae disciplinae sollicitudinem, vel in maximis difficultatibus exploratam, quibus mirifice exornaris. At probe nosco unam Tibi veritatem adversam esse, quae in Tua laude versatur. Progrediatur igitur Atlantica ista tractatio ad ceteras argumenti partes, quas vir Aegyptius Graecorum sapientissimo exposuit, Historiam nempe Atlanticam, atque inde productam caelestium Orbium cognitionem, quam antiquus illius Regionis

nis dominator fertur hominibus tradidisse . Id ipsum Tibi pergratum adfore duxi , veluti , cui ab adolescentia inter ceteras liberales disciplinas , Mathesis praecipue probata est , voto paene dixerim Genti Tuae familiari : quum praecipue haec aetas protulerit duo illa saeculi ornamenta Laelium , atque Umbertum e Societate Iesu , qui hasce disciplinas profundissimae cognitioni sacrarum litterarum coniunctas non possidere magis , quam amplificare visi sunt : quorum postremus inter ipsa pietatis exercitia confectus , quantum nobis ereptum dolemus , tantum Caelitibus additum gratulamur . Quod vero huic Ecclesiae Tuae Vicaria sollicitudine addictus , aliquantulum temporis nactus , quod sane perbreve fuit , in hoc Monumento illustrando absumpserim , ne mihi vitio cedat , opitulantur Sanctissimi Ecclesiae Proceres , qui caelestes motus ad tempora Ecclesiastica constituenda speculandos sibi proposuerunt , et quodammodo sacrorum studiorum partem esse voluerunt . Praeterea , quod ceteris animi gratia indulgetur , ego mihi ex teretricae vitae instituto ad haec studia recolenda sumere soleo ; idque mihi inter sollicitudines , atque animi aegritudines unicum levamen reservatur . Interim Deo Optimo Maximo DECENNALIA VOTA solventes , continuo pro Tui incolumitate VICENNALIA nuncupamus : quibus aliquando absolutis , Vota laetiora faxit idem Deus , ut MVLTORVM TRICENNALIVM concipiamus .

PROOEMIUM ET ARGUMENTA


INTER praeclariora FARNESIANI Palatii Cimelia, quae Romae omnium admirationi sunt, merito recensetur marmoreum ATLANTIS Simulacrum, Orbem Caelestem sustinens, ceterorum quotquot exstiterunt integerrimum; nam similium vix aliqua vestigia operiuntur. Singulare id Monumentum, quod inter Astronomicas Antiquitates, sibi vindicat principatum, nescio quo fato, diu praetermissum, quodammodo delituit, donec, curante Praeclarissimo Praesule Francisco BLANCHINIO, delineatum, atque aeri incisum est. Fortasse illud explicare vir summus instituerat; quod si praestitisset, utpote qui inter sui temporis Astronomos insigniter eminebat, multo meliora circa id argumentum protulisset, quam quae a tenuitate mea expeti possint. Interim vero eiusdem marmorei Signi integrum schema senis Tabulis comprehensum, bono Litterariae Reipublicae fato, ad Clarissimum GORIVM nostrum delatum est, qui quum totus sit in Antiquitate reparanda, illud mecum communicavit, ut commentariolo explicarem; quod quidem, eodem Amico optumo rogante, summa cum voluptate me fecisse fateor. Quum igitur id Simulacrum inlustrare statuissem, duo praecipue mihi constitui; primum nempe ut imago Atlantis, eiusque Historia, brevibus observationibus perstricta, ornaretur: alterum vero ut Caelestis Orbis, quem ille fulcit, per partes singulas declararetur, ibique delibatis quibusdam differentiis, quae inter veterem, novamque caelestium circulorum positionem intercedunt, tota Astrothesia singillatim enuclearetur: quod ut facilius praestaremus, Commentarium hoc in sequentia Argumenta, seu Capita distribuimus.

- A*TLANTICARVM FABVLARVM prae ceteris Antiquitas , atque dignitas monstratur .
- II. Atlantes plures ad unum , qui maximus dictus est , reducuntur . Varia eius nomina , eorundemque nominum significationes elucidantur .
- III. Inquiritur Atlantis aetas , Parentes , Fratres , et Vxo- res , de quibus variae Auctorum sententiae adferuntur .
- IV. Nati Atlantis recensentur , eorumque variae sortes .
- V. Eius praecipuum institutum fuit Astrologia .
- VI. Creditus est Caelum sustinere , eiusque Fabulae triplex causa adducitur .
- VII. Ab ipso Hercules astrorum scientiam accepit ; unde creditus est Caelo humeros supposuisse .
- VIII. Atlas in montem sui nominis conversus fingitur .
- IX. Atlantis situs , et regio ex Geographis describitur .
- X. Populi regionem illam incolentes inquiruntur .
- XI. Pauca de insula Atlantica delibantur .
- XII. Atlantem insculpere Caelum sustententem antiqua res est , et exemplis confirmatur .
- XIII. Antiquitas huius Marmoris multis argumentis adseritur , et vindicatur ; quum longe ante Antoninorum tempora Constellationes figurari introductum sit .
- XIV. Orbis Caelestis ab Atlante suffulti in hoc Marmore dispositio expenditur , rationesque adferuntur cur Polus Boreus fere verticalis sit Atlanteo humero .
- XV. Distantiae , et latitudines circulorum huius Globi scrutantur , et cum recentioribus comparantur .
- XVI. Asterismi in hoc Globo conspicui numerantur ; deficientium vero causa speculatur .
- XVII. Mythologice explicatur tota Astrothesia Tabulae III. et singularum Constellationum dispositio cum recentibus Globis comparata expenditur .

XVIII. *Astrothesia Tabulae IV. per partes explicatur!*

XIX. *Astrothesia Tabulae V. enucleatur.*

XX. *Postremo Astrothesia, quae in sexta, et ultima Tabula exhibetur, expenditur, et elucidatur.*



C A P V T I.

*ATLANTICARVM FABVLARVM prae ceteris
antiquitas atque dignitas monstratur.*

REGIONEM Atlanticam maxime nobilitant Fabulae, quae omnium antiquissimae, ac celebratissimae in illa conlocantur. Neminem vero latet sub earum involucro veras populorum origines, scientiarum secreta, denique Ethnicam Theologiam contineri. Hinc illa terrae pars, cui tantum dignitatis adtributum est, communi iudicio omnium maxime nobilis fuisse videtur. Adeo vero communes erant, atque frequentes Fabulae, quae inde processere, ut Aristoteles in Libris Rhetoricorum Fabulas omnes humanas communi nomine *Atlanticas* adpellet; ceteras vero in quibus bruta agunt, *Aesopicas*. Cur vero remotissima ea regio, et veteris orbis paene ultima, huic officio selecta sit, multiplex causa potest adsignari, quarum prima, gentis antiquitas. Ut enim verbis utar Diodori Siculi initio Libri IV. *Ferunt Aethiopes primos omnium hominum creatos esse: cuius rei coniecturam ferunt, quod non aliunde homines in eam provinciam adceserint; sed in ipsa geniti, merito indigetes omnium consensu adpellentur.* Haec vero dignitas ceteris Orbis partibus, quae tunc potissimum Aegyptiis harum Fabularum artificibus innotuerant, tribui non poterat, quum ob frequentes migrationes saepissime statum immutaverint. Natura quoque loci generosior, vasta flumina, paludes ingentes, magnarum ferarum copia, mons omnium procerrimus, indeque conspicuus Oceanus, quem rerum omnium patrem adpellabant, Fabulas inve-

sunt , et communi vocabulo *incolpati* . Idem Diodorus : *Atlantides* , ut accepimus , loca propinqua Oceano , et quidem felicia incolentes , tum pietatis , tum erga aduenas humanitatis prae ceteris finitimis gentibus , laudem tulerunt . Hinc maximus , et sapientissimus Vatum , Iovem inducit cum ceteris Diis divertentem ad convivium apud Aethiopus Iliad. A.

*Iupiter enim in Oceanum ad bonos Aethiopus
Hesternus iuit ad convivium ; Dii autem omnes simul
secuti sunt :
Duodecima autem rursus veniet ad Caelum .*

Huic quoque regioni prima Deorum Origo adtribuitur , cuius rei auctorem habeo eundem Diodorum loco citato : *Ab his Deorum genus mansisse tradunt : quibus adsentitur praestantissimus Graecorum Poëta , Iunonem introducens adpellantem Oceanum Deorum Patrem , et Matrem Thetin . Scribunt autem primum regnasse apud eos Caelum , hominesque antea per agros dispersos ad coetum , condendasque urbes exhortatum , a fera eos agrestique vita ad mitiorem cultum traduxisse .* Prosequitur vero Diodorus cetera eius facta , et progeniem , in qua numerat Pandoram , Rheam , Hyperionem , et Titanas : dein imperii divisionem , inter Caeli filios recenset Atlantem , atque Saturnum ; postea vero Atlanticam profapiam Hyadas , atque Pleiadas . Nemo vero non videt hos praecipuos esse Fabularum fontes , unde ceterae omnes , quas Aegyptii , Graecique confinxerunt , ortum habuere . Latonam quoque e Taigete Atlantide natam refert Ovidius Methamorph. Lib. VI. vers. 174. ubi eam sic loquentem introducit .

Ple-

*Pleiadum soror est genetrix mihi : maximus Atlas
Est avus , aetherium qui fert cervicibus axem .*

Maia vero harum altera Mercurium tulit . Idem Faistorum
Lib. V. vers. 183.

*Hinc sata Pleione cum stellifero Atlante
Iungitur , ut fama est , Pleiadasque parit ;
Quarum Maia suas forma superasse sorores
Traditur , et summo concubuisse Iovi .
Haec enixa iugo cupressiferae Cyllenes ,
Aethereum scrucri , qui pede carpit iter .*

Vt vero et Italia nostra Atlanticam virtutem sentiret , et
tantae profapiae ornamentis quodammodo decoraretur ;
Electram quoque , et Annam Perennam tulit , ex quibus
Fabulae Italicae , nihilo minus Graecis nobiliores , propagatae
sunt , de quibus suo loco agendum erit . Gorgonum fa-
bula tota Atlantica est , quarum sedem *gelido sub Atlante
iacentem* describit Ovidius Metamorph. Lib. 1v. Ad has
vero Perfei volatus , inde et Atlantis in Montem conver-
sio infra nobis adtingenda sunt . At inter ceteras Fabulas
nobilissimum locum sibi vindicant Horti Atlantis , in quibus

*Arboreae frondes , auro radiante , nitentes ,
Ex auro ramos , ex auro poma tegebant .*

Haec vero commenta a loci fertilitate ducta sunt ; quod
nobis ostendit Plinius Lib. v. Cap. 1. ubi Atlantem de-
scribit : *Opacum , nemorosumque , et scatebris fontium ri-
guum , qua spectat Africam , fructibusque omnium generum
sponte ita subnascentibus , ut nunquam satietas voluptatibus
desit .* Solinus quoque Polyhistor. Cap. 24. Atlantis adspe-

etum ita nobis exhibet : *Qua Africae contraversus est felix , nascentibus sponte frugibus , arboribus proceris opacissimus , quarum odor gravis , comae cupressi similes vestiuntur lanugine , sericis velleribus nihilo viliore .* Huc etiam spectat infomnis ille Draco , pomorum aureorum custos , quo sublato opimos fructus Hercules expilavit ; quam Fabulam in Musei nostri Lucerna expressam Tomo III. qui sub praelo est , explicatam damus . Quod vero maxime nobilitavit Atlanticas Fabulas , illarumque antiquitatem confirmat , illud profecto est , quod ex illarum multis Constellationes in Caelo factae sint , atque in primis Taurus , in quo tota familia Atlantica parè numero stellarum numeratur ; praeterea Perseus Gorgonem ostentans , Hesperidum Draco , Orion , Cepheus cum sua Cassiopea , et nata Andromeda , et Cetus , seu Pisces , qui ad illam vorandam inimissus fuerat : de quibus Fabulis in posterioribus Capitibus agendum erit . Haec tamen indicasse sufficiat , ne dum ATLANTEM studemus exornare , illum praeterire videamur ,

C A P V T II.

*Atlantes plures ad unum , qui maximus dictus est ,
reducuntur . Varia eius nomina , eorumque
significationes elucidantur .*

ATLANTICAM Mythologiam non paucis ambagibus involvit Auctorum discordia , qui multos plane ATLANTES , et loco , et aetate diversos nobis obiiciunt . Inter hos vero tres magis praecipue ab antiquis Scripto-
ribus

ribus memorantur, quos omnes paucis complectitur Servius in VIII. Aeneid. vers. 134. *Sed sciendum Atlantes tres fuisse: unum Maurum, qui est maximus; alterum Italum, patrem Electrae, unde natus est Dardanus; tertium Arcadicum, patrem Maiæ, unde natus est Mercurius. Sed nunc ex nominum similitudine facit errorem, et dicit Electram, et Maiam fuisse filias Atlantis maximi: nec praeter rationem ait „ et Maximus Atlas „ Idem Atlas generat „ nam et ipse habuit etiam horum nominum filias Electram, et Maiam.* At error iste Virgilianus, si tamen erroris arguendus est in Fabula referenda, cuius auctoritas a sola Scriptorum libertate, atque inventione processit, ab aliis etiam primae notae Auctoribus admissus est, qui unum eundemque ATLANTEM in pluribus locis multiplicarunt ad Fabularum suarum dignitatem adstruendam: vel quae de pluribus praedicabantur, in unius persona confuderunt. Hinc tot Hercules, tot Ioves, totque Neptunos apud Antiquos legimus, quos simul conciliare esset operam perdere: quapropter communiorem sententiam sequentes, unum ATLANTEM, qui et Libycus, et Maximus dictus est, et cui sustinendi Caeli munus iniunxerunt, prosequemur.

Hunc multiplici nomine a Libycis Populis, a Graecis, atque Latinis adpellatum invenio, nempe *Dyrin, Atlanta, et Telamonem*. De primo sic Strabo Geograph. 17. *Mons est in Libya, quem Graeci Atlantem vocant, Barbari vero Dyrin.* Et Plinius Lib. v. Cap. 1. *Annem, quem vocant Fut, ab eo ad Dyrin (hoc enim Atlantæ nomen esse eorum lingua convenit) CC. M. P. interveniente flumine, cui nomen est Vior.* Parem auctoritatem praebent nobis verba Solini Cap. XXIV. *Haec de Atlante, quem Mauri Dyrin*

nominant. Significationem Libyci vocabuli exposuit nobis in Melpomene Herodotus per haec verba : *Exstat in hoc mari mons , cui nomen Atlas hunc incolae Caeli columnam esse dicunt*. Hoc etiam nomine adpellatur ab Homero , Plutarcho , atque Nonno infra citandis Cap. VII. An tamen barbara vox analogiam aliquam habuerit cum Graeca ΔΕΡΗ , adfirmare minime ausim ; quanquam non dubitem primitivae linguae vestigia plurima huc atque illuc in longe diffitis regionibus servata adhuc reperiri , quae , inter se se conlatae , antiquam produnt adfinitatem . Si tamen per coniecturam aliquid adsequimur , video locum alterum *Dyras* adpellatum a Pausania in Corinthiacis , cuius nominis significationem ille tradit : *Nam et locus ipse , in quo Templum Dyras , hoc est iugum vocatur*. Iugum vero translatae etiam pro altis montium cacuminibus , praecipue vero qui longo tractu producuntur , ut evenit in Atlante , qui ab intimis Libyae regionibus usque ad mare propagatur , ut in eius descriptione infra notabimus . Quapropter non abs re *iugum* quoddam inde produci , subdit idem Strabo : *Mons est in Libya , quem Graeci Atlantem nominant , Barbari vero Dyrim* . Hinc iugum quoddam *expositum est* . *Dyris* vero est a ΔΕΡΗ , *collum , cervix* , quod litteraliter de brutis dicitur , et de hominibus etiam usurpatur , et translate de altissimis montium tractibus , quasi iugo quodam conligatis , qui quum Orizontem nobis interceptiant , et veluti definiant , tanquam Caelo contermini , illud quodammodo sustinere videntur .

Si tamen haec analogia inter iugum , et columnam duriuscula videtur , occurrit altera forte pronior , quod nempe nomen *Dyris* significet ipsum Atlantis officium : quum enim Caelum sustinere crederetur , supposito dorso ,

feu

feu potius, ut in hoc Simulacro, ea colli vertebra, quae ΑΤΛΑΣ dicitur, quamque *atlantion* vocat Plinius Lib. XXVIII. Cap. 8. ita alio nomine, sed aequali significatione, *Dyris* adpellari poterat a ΔΕΡΗ, *collum*, seu *cervix*: quapropter et Graeca, et barbara vox ex uno eodemque fonte propagatae fynonimae fere sunt.

Graeci vero ΑΤΛΑΝΤΑ constanter proprio sermone, nuncuparunt. Servius in I. Aeneid. vers. 745. *Sane Atlas Graecum est*: et Aeneid. IV. 481. *Atlas. Nullum Graecum nomen in NS. terminatur*. Vnde tamen hoc nomen illi obvenerit, liquido non convenit inter Scriptores. Primam opinionem esse ab ΑΤΛΑΣ, colli vertebra, cuius officio Caelum sustinet. Sunt qui eius nomen deducant ab ΑΘΛΟΣ *aerumna*, *conatus*, *certamen*; unde, et Athletae. Screvelio tamen magis probatur esse a ΤΑΛΑΩ, seu ΤΑΗΜΙ, *tolle-ro*, *perfero*, praemissa A, negativa; quapropter nomen deducit non a virtute, seu habitu, sed potius a vitio, et defectu, eo quod aliquando labore fractus, pondus Herculi commendavit. Eustathius apud Scapulam Themate 1588. dictum esse credidit, *vel ΠΑΡΑΤΟΥ ΜΗΙ ΤΑΛΑΣ ΕΙΝΑΙ*; *vel quasi ΠΟΛΙΤΛΑΣ a multo labore*; quod tamen durius videtur. At Aristoteles in Libro de Motione Animalium, aliquid profundius intelligere in hoc nomine, visus est; nam perquirens in caelesti orbe naturam motus, illum ab intrinseco principio immobili agi reputavit; nam Atlantis Fabulam explodens, illum nihil esse dixit, nisi ipsum principium moventem: *Quapropter sive Atlas, sive movens quid aliud sit ex his, quae intra continentur primum quiescens, hoc est Atlas motum parit*. Quae verba mihi sedulo perscrutanti, visum est Philosophum deduxisse Atlantis nomen, per quod principium motus intelligit,

a ΤΑΩ, Latinis *tollo*, *promoveo*, unde ΑΝΤΑΙΟΝ, *Vas*, quo aliquid adtollitur. In hoc tamen opinionum certamine, liberum cuique esto arbitrium iudicandi. Est praeterea apud Phurnutum aliud Atlantis nomen, seu potius cognomentum, hoc est ΟΛΟΟΦΡΩΝ, ac si dixeris *univerforum custodem*, ac *curatorem*, ab ΟΛΟΣ *totum*, et ΦΡΩΝΕΩ *curo*.

» Latini politioris aetatis non aliter ac Graeci Atlantem adpellarunt. At rudioris aevi homines, non Atlantem, sed *Telamonem* dicere solebant: quod colligitur ex duplici loco Servii in IV. Aeneid. vers. 246. *Sane Atlas Telamon Latine dicitur*: et manifestius in Lib. I. vers. 745. *Sane Atlas Graecum est, sicut, et Nilus*; nam Ennius dicit Nilum Melonem vocari; Atlantem vero Telamonem. At hic Ennii locus, ut plura alia, inter eius fragmenta desideratur. Analogiam vero inter utrumque nomen Atlantis, et Telamonis ignorare se profitetur Vitruvius Lib. VI. Cap. 10. ubi haec habet: *Item si qua virili figura signa mutilos, aut coronas sustinent, nostri Telamones adpellant: cuius rationes quid ita, aut quare ex historiis non inveniuntur; Graeci vero ΑΤΛΑΝΤΑΣ vocitant*. At Latini nominis cum Graeco adfinitas haud longe quaerenda erat; nam Graecis ΤΛΑΜΩΝ, quem Latini *Telamonem* dicunt, significat *tolerantem*, ac *sufferentem*, non secus ac ΑΤΛΑΣ, quod est a ΤΑΛΑΩ *suffero*, *sustineo*, unde ΤΑΛΑΣ *sustinens*. Ab hoc nomine vero non longe recedit Telamon; nam a ΤΕΛΑΩ, seu ΤΑΛΑΩ, fit ΤΛΑΜΩΝ. Constat vero ex ple-risque Deorum nominibus Latinos, retenta significatione, vocabula commutasse.

Mihi tamen in mentem fubit alia eiusdem nominis explicatio, quae forte magis obvia est, atque simplicior, et, si verum amamus, antiquae Romanae rusticitati magis

accommodata. Excipiebant illi Fabulas narratione magis, ac traditione, quam veterum scriptis, quorum minus studiosi ea aetate exstiterunt. Hinc illa frequentiora per-turbatorum nominum monstra, quae recenset nobis Ennii enarrator Columneus, non magis nobilitate generis, quam eruditione spectatissimus: quemadmodum etiam ex *Alcyone* fecerunt *Alcedo*, et ex *Ganymede*, *Catamitus*. Constat etiam ex Festo dixisse *Alumentum* pro *Laomedonte*, atque *Alpbium* pro *Alpheo*. Quod vero etiam pro *Atlante* dixerint *Telamonem*, id genio antiquae linguae Italicae referri potest, per quod peregrina nomina primitiva, et substantiva in adiectiva convertebantur, ut non personam agentis, sed actum exprimerent, communi his temporibus inflexione in VMNVS. Sic a *portu* fecerunt *Deum Portumnum*, a *versione*, *Vertumnum*, a *pilo*, *Pilumnum*: a ΚΑΤΑΩ, *fluctus*, *unda*, *Clitumnus*; sive potius a ΚΛΕΙΤΤΣ aquae delapsus, unde et Clitorius fons in Arcadia: a ΛΥΧΗ *luce*, ut ait Macrobius Lib. I. Saturnal. Cap. xvii. unde *Lucium* Latini antiquiores deduxere *Lucumunnum*. Ita quoque fieri potuit, ut ex *Atlante* detracta A per aphaeresim, fecerint *Talamunnum*, quem, ut lenius pronunciarent, verterunt in *Telamonem*.

C A P V T III.

Inquiritur Atlantis aetas, parentes, fratres, et uxores, de quibus variae Auctorum sententiae referuntur.

NVNC ATLANTIS gesta percurramus; et in primis quibus parentibus, quaque aetate natus, perhibeat

tur. Inanis alioqui quaestio esset disputare, quo tempore vixerit, qui nunquam fuit; sed tamen integritas Fabulae postulat, ut id quoque prosequamur. Itaque de eius aetate haec legimus apud Eusebium: *Porphyrus Atlantem, et Prometheus per Inachi tempora fuisse scribit*. Augustinus vero de Civitate Dei Lib. XVIII. Cap. 8. ipsum circa Moysis tempora existisse dicit: *Quum ergo regnavit Assyriis quartusdecimus Saphrus, et Sicyoniis XII. Orthopolis, et Criasus V. Argivis, natus est in Aegypto Moyses Regnantibus memoratis Regibus, fuisse a quibusdam creditur, Prometheus: quem propterea ferunt de luto formasse homines, quia optimus. sapientiae doctor fuisse perhibetur. Frater eius Atlas magnus fuisse Astrologus dicitur*. Conciliantur vero facile hae geminae opiniones, quum ex Apollionis Grammatici computo, Moyses, et Inachus coetanei existiterint, quem non pauci ex recentioribus sequutos esse video.

At Tzetzes Chiliad. V. vers. 201. ipsum longe antiquiorem existisse, ex Veterum auctoritate tradidit. Sic enim loquitur:

*Atlas, Libyis, ut dicunt filii Aegyptiorum,
Et magis quotquot consentiunt Sophidi, temporum Scriptori,
In temporibus erat Osiridis Dionysii, Noë,
Quando erat Mercurius ter maximus, qui inventor litterarum,
Mercurius simul, et Prometheus, et Hercules, Typhonque
Universi Aegyptii.* —————

Si vero sententiam illorum expendamus, qui Atlantem, vel Caeli nepotem esse, vel filium tradiderunt, quorum verba infra adducenda sunt, longe Noaco antiquiorem creditum fuisse animadvertemus. Hanc inconstantiam observantes veteres Mythologi, quum se irrito conatu in-

hiscē aetatibus conciliandis laborare observarent, sententiam capefferunt, ut totidem numero personas multiplicarent, quot tempora, et loca forent, circa quae Scriptores non convenirent.

Non minor inconstantia observatur circa Atlantis parentes definiendos; nam Hesiodus in Theogonia ex Chaos Terram existisse dicit: ab ea Caelum, a quo Iapetum, qui ex uxore Clymene Atlantem, et Prometheus progenuit:

*Filiam porro Iapetus pulchros talos habentem Oceanitidem
Duxit Clymenem, et eundem lectum conscendit;
Ipsa vero, et Atlantem magnum peperit filium.*

At Diodorus Siculus Lib. IV. Atlantem ex ipso Caelo natum fuisse tradit, qui cum Hyperionem, et alios quadragintaquatuor natos reliquisset, Atlas primus post patrem regnum occupavit: cuius haec sunt verba: *Post vero Hyperionis interitum adserunt Caeli filios imperium divisisse. Ex eis fuisse Atlantem, et Saturnum: nobiliora Atlantici loca ad Oceanum posita sorte evenerunt; unde et populus suo nomine, et maximus montium prope Oceanum dictus est.* Longe ab his abit Hyginus in Fabula I. qui Atlantem filium Aetheris dixit: *Ex Aethere, et Terra, Dolor, Dolus, Ira Atlas, Hyperion.* In eadem quoque sententia fuit Servius in IV. Aeneid. vers. 247. *Atlas est, Aetheris, et Diei filius.* Aether vero longe alius est a Caelo, ut constat ex eodem Hesiodo vers. 116.

*Primo omnium quidem Chaos fuit, at deinde
Tellus lato pectore praedita _____
Tartareque tenebricosa in recessu terrae spatiosae.*

*Ex Chaos vero Erebusque, nigraque Nox editi sunt:
 Ex Nocte porro Aetherque, et Dies prognati sunt:
 Tellus vero primum quidem genuit parem sibi
 Caelum stellis ornatum.* —————

At Plato in Atlantico altiores causas in Fabulis per-
 scrutatus, Atlantem retulit natum esse ex Neptuno, et
 Clytone in insula Atlantica, quam in uxoris gratiam, et
 munimentis, et omnibus naturae donis exornavit: *E-venor*
ex Leucippe Clytonem unicam filiam genuerat. Neptunus eius
desiderio captus illi se miscuit Quinque praeterea mascu-
lorum filiorum partus geminos progeniuit, et nutriuit, atque
omnem Atlanticam insulam decem in plagas partitus, pri-
mogenito maternam habitationem adtribuit. Primogenitum
quidem vocavit Atlantem; unde et Pelagus cognominatur
Atlanticum. Clytone vero, unde veteres Itali fecerunt
 Clitumnum, nil fere significat, ut supra innuimus, nisi
 eruptiones aquarum terrestrium, quae Neptuno, hoc est
 Mari coniunctae, quum Cataclysmus Terram deformavit,
 montes plurimos, qui prius non exstiterant, ex immoderata
 internarum aquarum ebullitione ex imo profiluerunt:
 quod in divina Scriptura explicatur per verba: *rapti sunt*
fontes abyssi magnae: quam multorum montium originem
 exstitisse, declaravi in *Litogonia* in lucem proferenda; hoc
 est *de Marmorum generatione, et ratione macularum.*

Ex his, quae praemisimus, facile quoque colligitur,
 qui etiam fratres Atlanti steterint. Hos praeterea connumerat
 loco citato Hesiodus:

*Ipsa vero ei Atlantem magnanimum peperit filium:
 Peperit praeterea gloria insignem Menetium, atque Prometheum
 Varium, et versipellem, stultumque Epimetheum.*

Hos

Hos omnes propter morum improbitatem, atque coniu-
rationem, a Iove male multatos inferius tradit.

Vxores illi duas adtribuerunt, Pleïonem inprimis, ex
qua Maia Mercurii mater exorta est. Ovidius Metamorph.
Lib. II. vers. 742.

————— *cui sic respondit Atlantis*
Pleïonesque nepos : ego sum, qui iussa per auras
Verba patris porto. —————

Et rursus in Epistola Paridis ad Helenam eundem Mer-
curium describens :

Constitit ante oculos ætus velocibus alis
Atlantis, magni, Pleïonesque nepos.

Fuit autem Pleïon Oceani, et Tethidis filia. Idem Ovidius
Fastor. Lib. V. vers. 81.

Duxerat Oceanus quondam Titanida Tethin,
Qui terram liquidis, qua patet, ambit aquis.
Hinc sata Pleïone cum stellifero Atlante
Iungitur, ut fama est, Pleïadasque parit.

Alteram vero uxorem illi iunxerunt Aethram Pleïonis fo-
rorem, quam Ovidius eodem Fastor. Lib. v. eiusdem Oceani
filiam fuisse tradit vers. 171.

Hunc stirps Oceani maturis nisibus Aethra
Edidit, et Nymphas ; sed prior ortus Hyas.

CAPVT IV.

Nati Atlantidis recensentur , eorumque variae sortes .

NATAS autem habuit Atlas plurimas , quae ob virtutem , atque pietatem astris inferi meruerunt . Has connumerat Diodorus Siculus Lib. IV. *Fuerunt insuper Atlantifiliae septem , a matris nomine Atlantides vocatae ; quamvis unicuique proprium nomen inesset , ut Maia , Elestra , Taygete , Asterope , Merope , Alcyone , Celeno . Has tradunt ab Heroibus , et etiam a Diis cognitae , et Deos , et Heroas peperisse ; veluti prior Maia ex Ioue Mercurium genuit quas prudentes fuisse constat , et post obitum honores Deorum immortalium adeptas , Pleiadum adpellationem cepisse . Harum quoque meminit Aratus in Astronomicis :*

*Septem illae esse feruntur ;
Quamvis sint oculis hominum sex obvia signa .
Alcyone , Meropeque , Elestraque , diua Celeno
Taygete , Sterope , praeclaro numine Maia .*

Has vero quia ex matre Pleione susceperat , Pleiadas adpellatas intelligimus : quae quum diu vim , et petulantiam Orionis aufugissent , in Caelum translatae , ante Tauri genua conlocari meruerunt , ut narrat Hyginus infra citandus . Sunt vero , qui illas dictas putent non a matre Pleione , sed a ΠΛΗΩ *navigo* , quia circa aequinoctium vernum exorientes , quodammodo navigationem indicunt .

At parem numerum filiarum suscepit ex altera coniuge Aethra , quaeque pari fato in Caelo fulgere meruerunt , Ambrosiam , Eudoram , Pasithoem , Coronidem ,
Ple-

Plexauridem, Pitho, Thyenem. Hae vero communi vocabulo Hyades dictae sunt, a nomine fratris Hyantis, quem Atlas ex eadem uxore genuerat, ut placet Hygino Lib. II. in Tauro: *Quod earum Hyas fuerit frater, a sororibus plurimum dilectus*. Sunt vero, qui credunt id nomen suscepisse, ex quo Bacchum educarunt, qui Hyes dictus est. Alii denique adpellatas volunt a pluvia, quam exortu portendunt; nam $\tau\Omega$ *pluere* est, unde *inserenae* a Poëtis adpellantur, et *pluviae*. Ferunt tamen alteram ex iis, quia Sisypho mortali viro nupsisset, obscuratam non adparere, ut ait Hyginus loco citato: immo a belli Troiani aetate videri desiisse. Quod minime mirum est, quum aliae quoque stellae aliquando emerferint, deinde et evanuerint. Sic novam clarissimam adparuisse aiunt in Cassiopea anno DCCCCXLV. quae brevi exstincta, iterum anno MCCLXIV. effulsit. Hanc iterum Ticon observavit anno MDLXXII. quae per biennium decrescens, iterum interiit: unde colligitur periodice post trium fere saeculorum spatium recurrere. Alteram in Ceto per duos menses observavit Fabricius anno MDXCVI. sed magis longaevam alteram, Keplerus in Cigno ab anno MDCI. quam iterum Hevelius anno MDCLXVI. redeuntem agnovit. Idem Keplerus anno MDCIV. alteram per annum duraturam observavit in Ophiuco: nec dissimilem Simon Marius anno MDCXII. et MDCXXXVIII. in Cingulo Andromedae. Demum Hevelius, atque Cassinius animadverterunt alteram singulis annis in collo Ceti adparere, atque occultari.

Vt vero ad Atlantis natas redeamus, constat illas communi adpellatione nuncupatas Atlantidas, et Atlanteas, a communis parentis nomine. Ovidius Fastor. Lib. III. vers. 105.

Quis

*Quis tunc aut Hyadas , aut Plēadas Atlanteas
Senferat , aut geminos esse sub axe polos ?*

Alii quoque Atlantis filii passim a Poëtis numerantur , inter quos Latini nostri Annam nutricem Iovis adcesent , quam Perennam cognominarunt . Ovidius Fastor. Lib. III. vers. 659.

*Invenies , qui te Nymphen Atlantida dicant ;
Atque Iovi primos , Anna , dedisse cibos .*

Paufanias verò in Arcadicis memorat etiam Moeram , quæ nupsit Tegeati Lycaonis filio : nisi eadem sit , cum Merosse , quam supra memoravimus . Inter natos vero dignus est , qui cum laude memoretur , Hesperus , quem *pietate , ac in subditos iustitia insignem* prædicat Diodorus Siculus Lib. IV. *Qui cum in Atlantis Montis cacumen ad observandos Astrorum cursus adscendisset , subito a ventis arreptus , nequaquam amplius visus est : quam ob causam hunc miserata plebs honores illi tribuens immortales , Astrum caeleste lucidissimum eius nomine nuncupavit .*

Huc usque externa memoravimus . Age iam domesticam , et nobis quodammodo familiarem Atlanticae profapiae partem prosequamur . Memoremus igitur non sine laude Electram Atlantis filiam concivem Cortonensium , qui dum in Academicum Etruscorum Sociorum Coetum celeberrimum me cooptarunt , in partem tantæ gloriæ adsciverunt , et paene non dixerim nostram , quæ ex Iove Dardanum procreavit , non modo Iliaci , sed totius Romani Imperii conditorem . Virgilius Aeneid. Lib. VIII. vers.

134.

Dardanus Iliacæ primus pater Urbis , et auctor ,

Ele-

*Electra, ut Graii perhibent, Atlantide cretus,
Advehitur Teucros.* —————

Et Ovidius Fastor. Lib. IV. vers. 31.

*Dardanon Electra nesciret Atlantide cretum
Scilicet; Electram concubuisse Iovi.*

Ipsum vero in urbe Corythi natum manifeste testatur
idem Virgilius Aeneid. III. vers. 167.

————— *hinc Dardanus ortus,
Iasusque Pater, genus a quo princepe nostrum.*

C A P V T V.

Eius praecipuum institutum fuit Astrologia.

AT LANTIS primarium institutum, Astrologiam fuisse tradunt: quod omnium Scriptorum consensu facile evincitur, quorum perpaucos feligemus. Et in primis Diodorus Siculus Lib. IV. *Post Hyperionis interitum adserunt Caeli filios imperium divisisse: ex eis fuisse Atlantem, et Saturnum. Atlantem ferunt ipsum Astrologiae fuisse peritissimum, deque sphaera primum inter omnes disputasse; qua ex re visus est Orbem suis humeris sustinere, locum praebente Fabulis sphaerae inventionem.* Hoc etiam confirmavit Cicero v. Tusculanarum: *Humeris Caelum sustinuisse dicitur; quia primus cursum Solis, et Lunae, siderumque omnium deprehendit, idest Astrologiam invenit, et sphaeram construxit.* Adcedit Plinii auctoritas, qua haec opinio confirmatur; sic

enim ille Lib. vii. Cap. 56. ubi de rerum inventoribus sermonem habet : *Invenit : Astrologiam Atlas Libyæ filius , ut alii , Aegyptii , ut alii , Assyrii : Sphaeram in ea Milesius Anaximander .* His adhaesit Servius in iv. Aeneid. vers. 246. *Atlas (ut in primo diximus) peritus Astrologiae fuit ; nam et siderum cursum deprehendisse dicitur , et Herculem docuisse .* In quo quidem auctorem Virgilium sequutus est , qui in i. Aeneid. vers. 743. Iopam inducit inter epulas astronomicum canticum ab Atlante traditum personantem :

*Cithara crinitus Iopas
Personat aurata , docuit quae maximus Atlas .
Hic canit errantem Lunam , Solisque labores ;
Vnde hominum genus , et pecudes , unde imber , et ignes ;
Arcturum , pluviasque Hyadas , geminosque Triones :
Quid tantum Oceano properent se tingere Soles
Hiberni , vel quae tardis mora noctibus obstet .*

Albricus quoque de Deorum Imaginibus xxii. haec de illo perhibet : *Fuit quidam gigas , Atlas nomine , in Mauretania , in monte altissimo Caelum ipsum contingente : qui Caelum , ne caderet , humeris sustinebat : et sidera , si quae cadebant , malleo fixa , Caelo reponebat . Quem quum adcessisset Hercules , ille , qui audierat de fortissimis illius viribus , rogavit eum , ut , quia fessus erat Caelum sustinendo , ipsum aliquanto invocaret , donec quiesceret : quod Hercules libenter adnuit , et humero supposito , Caelum sustinuit . In quo intelligitur , quod ipse Atlas Astrologus peritus fuit : et ideo Caelum dicitur sustentasse , et sidera cadentia Caelo reposuisse . Hercules etiam fuit astrorum artis multum edoctus , qui scientiae comprehendendae plenus gratia , ad ultimos terræ fines adcessit ,*

cessit, et cum eodem Atlante de scientia conferens, illum in aliquibus inuit, opemque impendisse fertur ad Caelum sustinendum. Sed ne totam auctoritatem Ethnicis deferamus, occurrit nobis inter Christianos facile omnium doctissimus Augustinus, qui Lib. XVIII. Cap. 8. de Civitate Dei eandem opinionem profitetur: *Frater eius Atlas magnus fuisse Astrologus dicitur: unde occasionem Fabula invenit; ut eum Caelum portare confingeret: quamvis mons eo nomine nuncupetur, cuius altitudine potius Caeli portatio in opinionem vulgi venisse videatur.* Hanc plane sententiam adeo invaluisse constat, ut inter ceteras naturalis scientiae Sectas Atlanticae primas deferat, ut docet eiusdem Operis Lib. VIII. Cap. 9. *Qui Sapientes, vel Philosophi habiti sunt Atlantici, Libyci, Aegyptii, Indi, Persae, Chaldaei, Scythae, Galli, Hispani.* Diogenes quoque Laërtius in Prooemio commemorat inter Philosophiae Auctores, *Ochum Phoenicem, Zamolxim Thracium, Atlantem Libycum.*

C A P V T VI.

Creditus est Caelum sustinere, eiusque Fabulae triplex causa adducitur.

EX hoc vero Atlantis instituto communiter commenti sunt ipsum Caeli pondus sustinere: cuius Fabulae triplicem fuisse rationem invenio; quarum prima, et potissima fuit, quod ille primus omnium siderum motus certis legibus complexus sit, illasque hominibus tradiderit; adeo ut Caelum, hoc est Astrologiam, labore suo sustentatam, solito Fabulae involucro decantaverint, quo nihil

frequentius apud Poëtas . Sic enim Euripides in Helenae initio :

*Atlas ille ferreis humeris Caelum ,
Deorum antiquam domum , ferens , et Dearum ,
Vna genuit Maiam , quae me genuit Mercurium .*

Et in Hippolyto vers. 747.

*Quum ad littus pomiferum Hesperidum
Nympharum conficerem iter ,
Vbi marinus Rex Tor purpurei stagni
Non ultra concedit viam nautis , venerandum
Limitem habens Caeli ,
Quod Atlas sustinet .*

Non differunt verba Aeschyli in Prometheus vers. 477,

*Titanem vidi
Atlantem , qui semper immensum robur
Firmum , et caelestem Polum
Dorso ingemiscens sustinet .*

Huc etiam adlusit Nonnus Dionys. 7 , ubi Electram unam ex Pleiadibus ita loquentem inducit :

*Et Libyae ad terminum pater meus adhuc laborat
Humeris adtrititis senex incurvatus Atlas ,
Aetheris , septem Zonas habentem , portans ventrem .*

Hos deinde Latini sequuti sunt , praesertim Ovidius Fa- stor. Lib. II. vers. 489.

*Iupiter adnuerat , nutu tremefactus uterque
Est polus ; et Caeli pondera sensit Atlas .*

Et Fa stor. V. vers. 169.

Non

Nondum stabat Atlas , humeros oneratus Olympo .

Etiam Dionysius Afer de situ Orbis eidem Fabulae adlusionem habuit :

*Ordine principium capiens Atlantis ab unda
Herculeo celebrant , quam metae munere Gades ,
Caeliferasque tenet stars Atlas monte columnas .*

Haec vero Fabula non modo ex Atlantis instituto, qui Astrologus fuit, originem duxit; verum etiam ex ipsius montis proceritate, quam infra suo loco frequenti Geographorum testimonio describemus. Hinc mons ille *Caeli columna* adpellatus est ab Homero in Odyssaeae 1. qui non procul ab Herculeo freto una cum altero celsissimo monte Atlantem conlocavit, geminosque nuncupavit Caeli columnas :

————— *habet ille columnas
Praelongas , Caelum , et Terram fulcire valentes .*

Sic etiam illum nuncupavit Aeschylus apud Plutarchum in Libro de facie in orbe Lunae :

*Terram , polumque stat ille columna fulciens ,
Humerisque pondus ingens sustinet suis .*

Idem quoque Nonnus Dionys. A. Typhoëum ita loquentem introducit :

————— *Fundamenta Mundi
Concutite cum Diis , et per se circumvoluta Caelo
Frangite divina repagula , et aetheria in terras
Columna subtrahata aufugiat conturbatus Atlas .*

Sunt vero , qui neque ob Astrologiam , neque ob ipsius montis naturam Atlanti Caelum imposuerint ; sed ita poenam luere , quod Gigantibus in bello aduersus Iovem adfiterit . Servius Aeneid. Lib. IV. vers. 247. *Atlantis, cui poenae gratia Caelum impositum dicitur ; quod , ut quidam volunt , cum Titanibus steterit .* Huius vero sententiae auctorem habemus omnium facile antiquissimum Hesiodum , qui in Theogonia ita de illo scripsit :

*Atlas vero Caelum latum sustinet dura ex necessitate,
Finibus in terrae e regione Hesperidum argutarum
Stans : capiteque , et indefessis manibus :
Hanc enim ipsi sortem destinavit prudens Iupiter .*

Hyginus quoque Fabula CL. eandem opinionem sequutus est : *Titanes , quum conarentur in Caelum adscendere , eos Io-vis cum Minerva , et Apolline , et Diana praecipites in Tartarum deiecit . Atlanti vero , qui dux eorum fuit , Caeli fornicem super humeros imposuit , qui adhuc dicitur Caelum sustinere .*

C A P V T VII.

Ab ipso Hercules astrorum scientiam accepit ; unde creditus est Caelo humeros supposuisse .

QVVM itaque Atlas Astrologiae adeo peritissimus haberetur , ut ab eo peculiaris Secta , quam memorat Laërtius , et Augustinus , originem duxerit , alteri quoque Fabulae ansam praebuit , qua creditum est Caeli pon-

pondus cum Hercule communicasse. Ferunt enim ipsum scientiae cupidum, in Libyam aliquando fecessisse, et ab Atlante astrorum scientiam percepisse: quod ostendit Servius in Aeneid. IV. vers. 246. *Atlas, ut in primo diximus, peritus Astrologiae fuit; nam et siderum cursum deprehendisse dicitur, et Herculem docuisse.* Inde vero ceteris Herculis titulis etiam illud adcessit, quo *Astrologus* dictus est; nam ex ea scientia factus futuri praevidens, diem illum voluntario suo funeri deputavit, cui Solis obscuratio imminabat. Festus: *Hercules Astrologus dictus, quod eo die se flammis iniecit, quo futura erat obscuratio Solis.* Hoc Herculis studium comprobavit etiam Chiliad. XII. vers. 139. Graecanicus Tzetzes:

————— *Hercules, Aegyptius genere,
Qui ab Atlante astrorum habuit artem.*

Hinc originem habuit alia Fabula Atlanticae similis, quod humeros Caelo supposuerit, illudque pro Atlante sustulerit, quod Alcmena iactat apud Senecam in Hercule Oeteo Act. V. vers. 1905.

*Vestrum Alcides ceruice meus
Mundum, Superi, Caelumque tulit,
Cum stelligeri vector Olympi
Pondere liber spiravit Atlas.*

De hoc facinore laudavit Herculem in Ovidiana Epistola Deianira vers. 17.

*Quod te laturum est, Caelum prior ipse tulisti:
Hercule supposito sidera fulcit Atlas.*

Ipse iam moriturus, quum propria merita connumeraret,

} hoc

hoc quoque omnium speciosissimum adiecit apud Ovidium
Metamorph. IX. vers. 199.

*Hac Caelum ceruice tuli: defessa iubendo est
Saeva Iouis coniux: ego sum indefessus agendo.*

Et Tzetzes Chiliade V. vers. 268. de Hercule in Libyam
profecto, haec habet:

*Illic ex Atlante Astrorum scientiam percepit;
Vnde Atlantem dicunt Caelum sustinere:
Ab hoc autem Herculem hoc accipientem ferre.
Haec de Atlante sermones Aegyptiorum.*

At quia rem ferme paullo aliter narrat Apollodorus
Lib. II. Biblioth. placuit integrum eius r̄exum adferre,
ut alia Fabulae ratio inde cognoscatur: *Post autem quam
in Hyperboreos ad Atlantem peruenit, ac Promethei prudentia
commonefactus est Hercules, ne ad Hesperidum mala profi-
cisceretur, sed ipse Atlanti in Caelo sustinendo succederet,
illumque pro se mitteret. Itaque persuasus excepit. Atlas
autem decerptis ex Hesperidum hortis tribus malis, ad Her-
culem redit; qui cum Caelum habere subterfugeret: cesticil-
lum, inquit, se velle facere suo capiti imponendum, quo
commodius tantum Caeli pondus ferre posset. Quod ubi audiuit
Atlas, depositis humi pomis, Caelum recepit, atque ita poma
Hercules consecutus, descendit. Sunt vero, qui dicant haec
non ab Atlante habuisse, sed ipsum caeso Dracone custode,
decerpsisse. Quae quidem Fabula Herculis humerum Caelo
submittentis expressa est in pulcherrima Gemma, quam,
Gorio meo amico suavissimo suppeditante, inter huius
Dissertationis Parerga referendam curavimus.*

CAPVT VIII.

Atlas in montem sui nominis conuersus fingitur.

SED iam cetera Atlantis fata percurramus, et quo praecipue casu in montem sui nominis conuersus sit, dicamus. Rem exponit Servius in IV. Aeneid. vers. 246. *Hic Atlas rex fuit, qui habuit, sicut quidam volunt, iuxta Aethiopas pomarium, in quo mala aurea nascebantur, quae Hesperides, et insomnis Draco, custodiebat. Hic quum audisset a Themide, antiquissima Dearum, vate, cavendum esse a Iovis filio, qui ea poma quandoque sublaturus esset, et prae timore nullum susciperet; audito, quod Perseus Iovis esset filius, suscipere eum hospitio noluit: a quo in montem conuersus est, viso Gorgonis capite. Fabulam diligentissime expressam habemus in IV. Metamorph. ab Ovidio vers. 641. qui ubi felices eius hortos, et aurea mala ferentes arbores describit, ita Atlantem inducit Persei adventu trepidantem:*

Memor ille vetustae

Sortis erat (Themis hanc dederat Parnassia sortem)
Tempus, Atla, veniet, tua quo spoliabitur auro
Arbor, et hunc praedae titulum Iove natus habebit.
Id metuens, solidis pomaria cluserat Atlas
Moenibus, et vasto dederat servanda Draconi:
Arcebatque suis externos finibus omnes.
Huic quoque: vade procul, ne longe gloria rerum,
Quas mentiris, ait, longe tibi Iupiter absit;
Vimque minis addit, foribusque expellere tentat.
Cunctantem, et placidis miscentem fortia dictis,
Viribus inferior (quis enim par esset Atlanti

Vol. III. E Vi-

*Viribus?) At quoniam parui tibi gratia nostra est ,
 Accipe munus , ait : lacvaque a parte Medusae
 Ipse retroversus squallentia prodidit ora ,
 Quantus erat , mons factus Atlas . ———*

At in ipso montis horrore aliquam prioris humanae formae imaginem agnoverunt Poëtae, vel sibi agnoscere visi sunt; illum enim sub ingentis simulacri similitudine eleganter nobis obiiciunt. Ovidius paullo post loco citato :

————— *Iam barba , comaeque
 In silvas abeunt : iuga sunt humerique , manusque ;
 Quod caput ante fuit , summo est in monte cacumen .
 Ossa lapis sunt . tum partes auctus in omnes
 Crevit in immensum (sic Di statuisit) et omne
 Cum tot sideribus Caelum requievit in illo .*

Silius quoque Italicus non dissimiliter illum nobis delineavit Lib. I. vers. 201.

*Nec patitur nomen proferri longius Atlas ,
 Atlas subducto tracturus vertice Caelum :
 Sidera nubiferum fulcit caput , aethereasque
 Erigit aeternum compages ardua cervix :
 Canet barba gelu , frontemque immanibus umbris
 Pineae silva premit ; vastant caeva tempora venti ,
 Nimbofoque ruunt spumantia flumina rictu .
 Tum geminae laterum cautes maria alta fatigant .*

Omnes vero , ut semper , supergressus est Maro noster, quem ceteri impari forte videntur imitati; qui Aeneid. IV. vers. 248. Mercurium inducit e Caelo in Atlantem prolapsum , montemque ita describit :

!

— Iam-

— *Iamque volans apicem, et latera ardua cernit
 Atlantis duri, Caelum qui vertice fulcit:
 Atlantis, cinctum adsidue, cui nubibus atris
 Piniferum caput, et vento pulsatur et imbri:
 Nix humeros infusa tegit: tum flumina mento
 Praecipitant senis, et glacie riget horrida barba.*

CAPVT IX.

Atlantis situs, et regio ex Geographis describitur.

NVNC regionem, et situm Atlantis breviter perquiramus. Duplicem ipsum recenset Ptolemaeus Geograph. IV. Cap. I. longitudinis, et latitudinis gradibus adiunctis.

Atlas minor mons -- 6 -- 33. 10.

Atlas maior mons -- 8 -- 26. 30.

Vterque constituitur in Mauretania Tingitana, quem incolae vocant *Induacal*, seu *Autuacal*: et Libyam, et Mauretanium ab interiore Libya separat, eique Marrochi Regnum subest. Minor vero, quem *Eriff* nuncupant, et a maiore propagatum tradunt, eo protenditur, quo Herculis Columnae constituuntur. Fabulae tamen, quae de Atlante circumferuntur, ipsum maiorem videntur postulare. Vbi situs sit, exquirunt veteres Geographi, in primis vero Plinius Lib. v. Cap. I. *Scipione Aemiliano res in Africa gerente, Polybius Annalium conditor, ab eo accepta classe, scrutandi illius orbis gratia circumvectus, prodidit, a monte eo ad occasum versus, saltus plenos feris, quas generat Africa.*

Ad flumen Anatum cccclxxxv. m. passuum : ab eo Lixum. ccv. m. passuum : a Gaditano freto cxii. m. passuum abesse. Quibus spatiis computatis, octingentis fere passuum millibus a freto distare cognoscimus. Haec fere habentur apud Solinum Polyhistor. Cap. xxvi. A Lix abest quinque et cc. millibus passuum. Lixa a Gaditano freto cxii — qua spectat occasum, inter ipsum et flumen Anatum ccccxcvi. m. passuum infames bestias sylvae obsident.

Hinc vero facile cognoscitur montem Atlantem in mediterraneis quidem Africae conlocatum; sed inclinare potissimum circa occidentem Africae oram, quae Atlantica, et inde Oceanus Atlanticus dictus est. Sed haec praecipue declarat Strabo Lib. xvii. *Extra Columnarum fretum procedenti ad sinistram mons est in Libya, quem Graeci Atlantem vocant; Barbari vero Dyrin. Hinc iugum quoddam expositum est, extrema Mauretaniae pars Occidentem versus, et Cotes adpellatur. Cui consentit Virgilius Aeneid. IV. vers. 480.*

*Oceani finem iuxta, Solemque cadentem,
Ultimus Aethiopum locus est, ubi maximus Atlas
Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.*

Hunc vero loci situm dudum cognoverat Hesiodus, qui Atlantem in ultima Hesperiae ora conlocaverat:

*Atlas vero Caelum latum sustinet dura ex necessitate
Finibus in terrae e regione Hesperidum argutarum.*

Herodotus etiam in Melpomene occidentem Africae oram describens, ita inquit: *Exstat in hoc mari mons, cui nomen Atlas. Est autem ubique perangustus, et teres. Ita vero sublimis esse dicitur, ut ad illius verticem oculi mortalium*

per-

peruenire non possint . Hunc incolae Caeli Columnam esse dicunt . Hanc altitudinem etiam Pausanias in Atticis indicavit : Atlas mons adeo celsus est , ut vertice Caelum tangere dicatur . Quod etiam innuit Plinius eodem Lib. v. Cap. i. E mediis hunc arenis in Caelum adtolli prodiderunt .

C A P V T X.

Populi regionem illam incolentes inquiruntur .

POPVLOS, qui Atlantem incolunt , multis nominibus censitos video . Hos *aetherios* vocat Nonnus Dionys. A. Iupracitatus :

*et aetheria in terra
Columnas subtracta fugiat conturbatus Atlas .*

Id nomen esse puto ab eodem fonte , a quo et Aethiopia ; quam Plinius Lib. vi. Cap. 36. dictam tradit ab ΑΙΘΩ cremare , et ΩΨ *adspectus* ; eo quia ob calorem combustae regionis faciem referat . Pausanias in Atticis Lib. i. *Nasamones* adpellat : *Nasamones quidem ipsi , quos Atlantas Herodotus esse existimavit , qui orbis terrae spatia nosse profitentur , Loxitas adpellant , qui in extremis Libyae finibus Atlantem adcolunt . Serunt autem omnino nihil ; sed agrestium tantum vitium fructu aluntur .* A Dionysio de situ Orbis *macrobi* nuncupantur :

*Aethiopes habitant Erithiam , pectore iusti,
Atlantem iuxta , longaevi :*

eos quidem Graeci *macrobios* dixerunt .

Communiore tamen vocabulo apud omnes fere Scriptores *Atlantes* audiunt, ab ipso montis nomine nuncupati. Plinius dicto Lib. VI. Cap. 30. et 31. *Vniuersa uero gens Aetherea adpellata est, deinde Atlantia.* Hos uero ita incultos nobis describit Herodotus memorato Lib. IV. ut ne nomen quidem proprium singuli habeant: *A Garamantibus decem quoque dierum itinere alius collis est salis, et aqua: adcolentibus hominibus, quibus nomen est Atlantibus, solis omnium hominum, quos ipsi no- uimus, innominatis; nam congregati quidem uocantur Atlantes; singulis autem eorum nullum nomen imponitur. Hi Solem transcendentem execrantur, eique praeterea omnia conuicia ingerunt, quod torridus et ipsos et regionem perdat. Haec fere de ipsis retulit Pomponius Mela de situ Orbis Lib. I. Cap. 3: Ab Oriente Garamantas, post Angilas, et Troglodytas, et ultimos ad occasum Atlantas audimus Solem execrantur, et dsm- moritur, et dum occidit, ipsis agrisque pestiferum. Nomina singuli non habent, nec uescuntur animalibus, neque illis in uiete, qualia ceteris mortalibus, uivere datur.*

Praeter hos, fabulosos etiam incolas in Atlante describit Plinius eodem Lib. V. Cap. I. *Incolarum neminem interdum cerni: filere omnia, haud alio, quam solitudinum horrore: subire tacitam religionem animos propius adcedentium, praeterque horrorem elati super nubila, atque in uiciniam lunaris circuli Eundemque noctibus micare crebris ignibus, Aegipyanum, Satyrorumque lasciuia impleri, tibiarum, ac fistulae cantu, tympanorumque, et cymbalorum sonitu strepere.* At Pomponius Mela huiusmodi incolas etiam praeter Atlantem esse narrat: *Ultimos ad occasum Atlantas audimus. Intra (si credere libet) uix iam homines, magisque semiferi Aegipyanes, et Blemmyes, et Gamphasantes, et Satyri, sine te-ctis, passim ac sedibus uagi, habent potius terras, quam habitant.*

Haec

° Haec Regio usque ad Oceanum occiduum extenditur, qui ab ea Atlanticus passim nominatur. Dionysius Afer Desript. Orb.

*Circuit Oceani gurges tamen undique vastus,
Qui quamvis unus sit, plurima nomina sumit
Finibus Hesperii, Atlanticus ille vocatur.*

C A P V T XI.

Pauca de insula Atlantica delibantur.

SED antequam historiam Atlanticam missam faciamus, operae pretium esse videtur, ut aliqua etiam de insula eiusdem nominis percurramus. Hanc, ut praemisimus, multis describit Plato in Timaeo, et rursus peculiari libro, quem inde Atlanticum nominavit. Dictam vero fuisse et ipsam colligimus ab Atlante primogenito Neptuni, qui primo in illa regnavit, ut loco proxime citato idem Philosophus indicavit. Hanc ille in Oceano eodem nomine nuncupato, praeter Herculeum fretum, conlocat, et ita in Timaeo describit: *Traditur enim vestra civitas (Athenae) restitisse olim innumeris hostium copiis, quae ex Atlantico mari profectae, prope iam cunctam Europam, Asiamque obsederant. Tunc enim erat fretum illud navigabile, habens in ore, et quasi vestibulo eius insulam, quas Herculis Columnas cognominatis: ferturque insula illa Libya simul, et Asia maior fuisse, per quam ad alias proximas insulas patebat aditus.... In hac Atlantide insula maxima, et admirabilis potentia existit Regum..... Horum vis omnis una collecta,*

nostram, o Solon, vestramque regionem, et quicquid intra columnas Herculis continebatur, invasit Post haec ingenti terrae motu, iugique diei unius, ac noctis illuvione factum est, ut terra debescens, vestros illos una omnes bellicosos homines absorberet, et Atlantis insula sub vasto gurgite mergeretur: quam ob causam innavigabile pelagus illud propter absorptae insulae limum relictum fuit.

Eiusdem insulae multiplex etiam mentio fit apud alios magni nominis Scriptores, praesertim vero apud Aristotelem in Libro de mirabilibus, qui narrat, *Gaditanos quosdam aliquando ventis iactatos, devenisse in quaedam loca deserta, alga et iunco obsita, quae minime exundatione mergerentur*. Haec quidem loca superesse reputabant ex iam absorpta Atlantica. Ptolemaeus vero memorat in eo mari, *insulam iraccessam*: et Strabo: *Loca, quae olim vere exstant, postea esse deserint*. Aelianus quoque Lib. III. Cap. 18. de varia Historia, Silenum inducit, ita de ea regione cum Mida conloquentem: *Europam, Asiam, et Libyam insulas esse, quas undique Oceanus circumfluat. Continentem vero eam esse illam, quae extra hunc mundum existit, et magnitudinem ipsius immensam esse narrabat. Eos vero dicebat quondam etiam in hasce nostras insulas transire conatos, et traiecto Oceano, cum mille myriadibus hominum ad Hyperboreos convenisse*. Constans praeterea fuit veterum Aegyptiorum traditio, Osiridem subacto Oriente, atque Africa, usque ad fretum Herculeum, quem a suo nomine nuncupavit, famam aliquam audiisse de altero disiecto Orbe, qui ultra Oceanum existeret: quo quum ille contendisset, sibi que subegisset, iterum, unde procefferat, rediisse, ut multis veterum testimoniis cumulatis refer Kircherius Mund. subter. Tom. I. Lib. II. Cap. 18. Haec quum multi e-

recentioribus observassent, suspicati sunt hanc Platonis Atlanticam insulam eandem fuisse cum America, iam tunc ab Antiquis cognita; quam tamen, ob artis nauticae imperitiam, frequentare non valuerunt. Itaque quum vix cognita, eorum oculos effugisset, Fabulae causam dedit, illam terraemotu absorptam, et inundatione dirutam, esse desuisse: quam suspicionem amplexati sunt Ortelius, Baudrandius, atque Sampsonius, maximi nominis Geographi: insuper et Erasmus Schmidius peculiari Comentario disseruit de America, quem Pindaro suo adiecit. Non desunt tamen, qui diversam omnino terram, inter fretum, et Americam consistentem, olim crediderint, cuius interitum adtribuunt eruptioni aquarum maris Mediterranei, quum perrupto Isthmo, quo Africa, et Hispania olim coniungebatur, inter Abylam, et Calpen aquae altius inclusae, repentino impetu in Oceanum irruerunt: cuius rei non obscurum argumentum nobis suppeditant marinorum corporum vestigia, quae plane in summis montibus circa Mediterraneum ubique observantur: quibus dubio procul comprobatur, inclusam eius aquam altissime olim increvissse, nec, nisi perrupto aditu, resedisse; ut latius probavimus in *Litogonia*, et rursus in *Dissertatione de Conchis montanis*.

At non una Atlantica insula in Oceano stetit; nam et aliam enumerat Plinius Lib. VI. Cap. 31. *Traditur et alia insula contra montem Atlantem, et ipsa Atlantis adpellata. Ab ea quinque dierum navigatione solitudines ad Aethiopas Hesperios, et promontorium, quod vocavimus Hesperion ceras. Putarim ob raram eius maris notitiam, et locorum ignorationem, multas quoque eiusdem maris insulas communi vocabulo Atlanticas adpellatas: inter quas Hesperides piorum animabus deputatae. Eustathius Odys. Δ.*

Elysus campus fuit apud Occidentales terrae fines, qui a posterioribus dicitur etiam Insulae Beatorum. Insulae quidem, quia sunt in extero mari, hoc est in ipso Oceano; beatorum vero propter loci felicitatem, et beatitudinem, quae etiam per omnes est divulgata. Illarum quoque meminit Lucianus in Iove Confut. In insulis beatorum bibere cum Heroibus adcumbens in prato Elyso. De his plura in Dissertatione nostra ad Cl. Buffium data, de Transvectione animarum.

C A P V T XII.

Atlantem insculpere Caelum sustentem, antiqua res est, et exemplis confirmatur.

SED iam ad marmoreum hoc Simulacrum adcedamus, eiusque antiquitatem, frustra ab aliquibus impugnatam, vindicemus. Hoc vero et ipsius marmoris adspectu facile evinci potest ab his praesertim, qui longo usu sinceram Monumentorum antiquitatem, vel nullo negotio discernunt. His vero, quibus marmoris contemplandi copia non datur, non pauca obiiciam testimonia, quibus liquido evincitur, Aniquis frequens fuisse Atlantes Caeliferos figurare. Antiquissimum testimonium eruitur ex Pausania in Eliacorum priore, qui similem imagunculam in Cypseli arca figuratam observavit: *Atlas, ut fabulis traditum est, humeris Caelum, et Terram sustinet, idemque Hesperidum poma praefert. Ecquisnam vero ille sit, qui ense adcinctus, ad Atlantem contendit, nulla indicat inscriptio peculiaris. Satis vero*
quis-

quisque per se conicere poterit , Herculem eum esse . Id unum adscriptum est :

Sustinet axem Atlas , idemque hic mala relinquet .

Rurfus in eodem Libro illum ita depictum narrat in Templo Elei Iovis : *Inter eas Atlas est Caelum , et Terram sustinens . Adstitit Hercules iam prope illum onere levaturus .* Apud Athenaeum quoque insigne Hieronis navigium descriptum legimus , in quo Atlantes sex cubitorum altitudine insculpti erant , qui a mari ad summos scalmos exurgentes², reliquum remigii spatium humeris sustinebant . In quo quidem Itali Graecos imitati sunt , qui columnarum vice , Caryatidas figuras ponderi regendo substituerunt ; ac tam frequens , tamque obvius fuit mos iste apud Italos , ut ad instar regulae institutum fuerit in Architectura , Atlantes istos , seu Telamones pondera sustinentes efformare , ut constat ex Vitruvio Lib. VI. Cap. 10. *Item si qua virili figura signa mutulos , aut coronas sustinent , nostri telamones adpellant : cuius rationes , quid ita , aut quare , ex historiis non inveniuntur : Graeci vero eos ΑΤΛΑΝΤΑΣ vocitant . Atlas enim historice formatur sustinens mundum ; ideo quod is primum cursum Solis , et Lunae , siderumque omnium ortus , et occasus , mundique versationum rationes , vigore animi , solertiaque curavit hominibus tradendas : eaque re a Pictoribus , et Statuariis deformatur , pro eo beneficio , sustinens mundum : filiaeque eius Atlantides (quas nos Vergilias , Graeci autem Πλειάδας nominant) cum sideribus in mundo sunt dedicatae .*

Alterum quoque Atlantis adspectum ex veteri pictura nobis describit num. XX. in Imaginibus Philostratus , qui Romae floruit sub Severo , ceterisque Imperatoribus usque ad

Philippum : quae quidem imago tam bene respondet huic nostro marmorì , ut utrumque opus ex eodem prototypo expressum esse videatur : *Cum Atlante quoque , Eurystheo minime iubente , certavit Hercules , ut Caelum ipso facilius laturus . Eum namque incurvatum , atque oppressum , genuumque alteri innixum , ac vix consistentem cernebat : se vero , et posse Caelum tollere , impositumque sibi diu sustinere animadvertibat — Pictus autem est hic quidem quasi defatigatus ; ac deficiens , ut ex manante sudore colligere , et ex trementi brachio percipere licet .*

Hoc tamen SIGNVM ATLANTIS Caelum sustententis , quod modo cum admiratione Romae in aedibus FARNESIANIS adservatur , unicum olim non fuit ; sed multa ad eius similitudinem insculpta extitisse coniicio ex alio simili Globo marmoreo asterismis exornato , qui dum Romae essem in Aedibus Barberinis adservabatur , bipedali fere diametro ; e cuius tamen cicatricibus constabat , ex alterius Atlantis dorso revulsum fuisse : quo temporum iniuria detrìto , praecipua haec pars tantum superfuerat , quam me saepius adrectasse , et evolvisse memini , gypseasque illius eclypas effigies iterum non uno in loco adservatas vidi . Audio praeterea hanc eandem imaginem in nummo Antonini Pii eius xx. Trib. Pot. percussò reperiri : quem tamen quum nunquam viderim , consulto praetermitto .

Silentio tamen praetereunda non est eximia Gemma ex Schedis Bonarrotianis excerpta , quam ex penu Gemmarum Astriferarum selectam , cura et studio Cl. Gorii , ad huius Libri frontem exornandam pag. 8. reservavimus . In hac Iupiter Fulgurator , hasta , et fulmine , ceterisque ornamentis instructus , adstat arae , cui aquila insistit . A tergo Atlas genibus innixus , Caelum sustinet : quae omnia ad victoriam

Titanibus reportatam manifestissime adludunt; ara praefertim, et aquila; ut colligitur ex Lactantio Firmiano de falsa Religione Lib. I. Cap. II. *Caesar quoque in Arato refert Aglaostenem dicere, Iovem quum ex insula Naxo adversus Titanas proficisceretur, et sacrificium faceret in littore, aquilam ei in auspiciam advolasse, quam victor bono omine acceptam, tutelae suae subiugarvit. Huic ergo sacrificare Iupiter potuit.* Famigerata quoque res est, ipsam dimicanti Iovi contra Gigantes fulmina ministrasse: quod etiam testatus est Servius in IX. Aeneid. vers. 864. Ara ipsa ad hanc victoriam adludit, ut constat ex Hygino Lib. II. qui caelestem Aram inter sidera conlocatam describens, haec habet: *In hac primum Dii existimantur sacra, et coniurationem fecisse, quum Titanas oppugnare conarentur: eam autem Cyclopas fecisse. Ab ea consuetudine homines dicuntur instituisse sibi, ut quum rem aliquam efficere cogitarent, prius sacrificarent, quam agere coepissent.* In hac vero Gemmae scitissimus Scalptor non modo expressit ipsum augurium victoriae praenuncium; verum etiam exitum, et quod illam secutum est, Titanum supplicium: inter quos Atlas, quod eis praesto fuerit, ut alibi diximus, ingenti ponderi sustinendo condemnatus, observatur.

C A P V T XIII.

Antiquitas huius Marmoris multis argumentis adferitur, et vindicatur; quum longe ante Antoninorum tempora Constellationes figurari introductum sit.

PRAESTAT etiam, ut aliqua de huius Marmoris aetate indicemus; nam dubitarunt Viri alioqui doctissimi,

Si-

Simulacrum hoc ante Antoninorum tempora haud confectum potuisse, ob signorum Caelestium imagines in hoc globo expressas, quas in globis delineari confueviffe ante ea tempora constanter negant: quod tamen an idoneis Auctoribus comprobare valeant, nec ne, mihi certe non constat. Occurrunt tamen non paucae coniecturae, quibus ego permotus, vehementer subspecer, usum hunc longe pridem invaluisse. A recentioribus incipiemus, atque inde gradatim ad remotiora tempora progrediemur. Itaque Philostrati aetate nemo dubitat Asterismorum usum invaluisse, ut clare evincitur ex eius imaginibus; quo in loco Atlantem describens, haec ad propositum subdit: *Quod vero ad Caelum, quod ipse fert, pertinet, pictum quidem est quale circa ipsas steterit umbras. Taurum autem, qui in Caelo est, Vrsasque quales cernuntur, cognoscere licet, nec non et Ventos: picti sunt enim hi quidem inter se propinqui; hi vero seiuncti, et hi quidem mutua amicitia; hi vero, quam in Caelo habent, contentionem servare videntur.* In nummis etiam Alexandri Severi cernuntur Zodiaci signa sub propriis imaginibus adamussim expressa.

Haec Monumenta antiquitate antecellit basis Columnae Antoninae, in qua sculptus est Orbis Genius, qui caelestem Sphaeram manu adrollit, circum quam Draco, qui polum Arcticum complectitur, advolutus est. Ipsum vero orbem cingit Zodiaci fascia, in qua Signorum effigies, non secus ac in nummo Severi, expressae sunt. In nummo quoque Augusti signum Capricorni, quod illè adscendens sortitus erat, insculptus est: quod etiam observatur in plerisque Gemmis, quas eadem aetate insculptas esse coniecimus in superiore Volumine. Virgilius, eiusdem aetatis decus, ita describit Asterismos, ut illorum usum

inversatilibus Globis invaluisse non dubitemus. Sic ille
Georgic. I. vers. 244.

*Maximus hinc flexu sinuoso elabitur anguis,
Circum, perque duas in morem fluminis Arctos,
Arctos Oceani metuentes aequore tingui.*

Virruvius, qui ea aetate scripsit, Sphaeram, ut ita dixerim, figuratam nobis peraccurate describit, de illa haec adiiciens: *Quae figurata, formataque sunt siderum in mundo simulacra, natura, divinaque mente designata, ut Democrito Physico placuit, exposui.* Eius quoque coëtaneus Hyginus Astronom. Lib. I. manifeste nobis indicat Constellationum simulacra: *Circulus Arcticus adpellatur, quod intra eum Arcturi simulacra, ut inclusa, perspiciuntur: quae signa a nostris Vrsarum specie ficta, Septentriones adpellantur.* Quod vero ad evidentiam evincit aetate Hygini, atque Manilii in usu fuisse Globos cum Constellationibus figuratis, illud profecto est, quod saepe enumerant aliquas Constellationum extremitates nullis stellis ornatas; quas ideo praeter stellarum situm extenderunt, ut graphica imaginum integritas constaret: quam si de medio tollamus, nullum signum praeter suas stellas protendi concipiemus. His vero Auctoribus longe antiquius testimonium eruitur ex Marci Varronis fragmento in Menippaeis, quod nobis servavit egregius Valerius Probus, Virgilii enarrator, quod ita se habet:

*Mundus domus est maxima omnium,
Quam quinque altitonae fragmine zonae,
Quam limbus pictus bis sex Signis
Stellicomantibus altus in obliquo aethere Lunae,
Bigas acceptat, Postumi, cui se plasia foetet.*

Sed

Sed ante ea tempora Globum signis exornatum descripsit Aratus integro poemate, cuius Latinam versionem, atque interpretationem Germanico Caesari adtribuunt. Ita vero singula Signa graphice describuntur, et quod amplius est, propriae Fabulae singulis adiiciuntur, ut iam tunc ipsa propriis limitibus circumscripta, et inclusa, propriisque imaginibus expressa fuisse, manifeste eruatur. Immo Plinius Lib. II. Cap. 8. ubi Astrologiae initia recenset, haec de Caeli figura locutus est: *Obliquitatem eius intellexisse, hoc est, rerum fores aperuisse, Anaximander Milesius traditur primus, Olympiade LVIII. Signa deinde in eâ Cleostratus, et prima Arietis, ac Sagittarii: Sphaeram ipsam ante multo Atlas.* Sed omnium antiquiora argumenta eruuntur ex Euripide, Sophocle, Homero, atque Orpheo, qui nonnulla ex caelestibus Signis, inter quae Syrium, et Oriona numerarunt: et in Libro Iob idem Orion, Arcturus, atque Hyades celebrantur. Sit interim Liber ille vel a Moyse conscriptus, vel Babylonicae captivitatis aetate, est fane antiquissimus: at de Salomonis aevo nulla cadit ambiguitas, qui ut habetur Sapientiae Cap. VII. 19. *Dispositionem Orbis terrarum cognovit, et anni cursus, et stellarum dispositionem:* quam postremam notitiam sine Astrothesia haberi non poterat, et hanc characteristicam fuisse censet Kircherius.

Quod vero, ut censeo, manifestissime evincit Signum hoc longe Antoninorum aetatem antecedere, illud est, quod nullum in eo Antinoi signum observetur, cum quo stellae, quae Aquilam efformabant, divisae sunt. Hunc vero novum Asterismum sub Hadriano introductum fuisse testatur Xiphilinus in eius vita, et Dio Lib. LXIX. cuius Excerpta publicavit Valesius. Hi vero unanimi testimonio tra-

tradunt novum sidus post Antinoi interitum ab Astronomis fuisse observatum, creditumque esse ipsius Antinoi animam; quapropter, ut Imperatori blandirentur, ipsius Antinoi imaginem prope Aquilam ipsam conlocarunt: quam institutionem posteriorum temporum Astronomi constantissime semper retinuerunt. Quapropter, nunquam adducar ut credam, sub Antoninis intermissam; ut summopere mirer viros ceteroquin doctissimos, qui huic aetati Simulacrum hoc adtribuerunt, hunc defectum non observasse.

C A P V T XIV.

Orbis Caelestis ab Atlante suffulti in hoc Marmore dispositio expenditur, rationesque adferuntur cur Polus Boreus fere verticalis sit Atlanteo humero.

VBI primum in huius Simulacri adspectum oculos defixi, non mediocriter miratus sum de caelestis Orbis conlocatione; nam ita dispositus est, ut polus Boreus fere verticaliter elevatus sit, itaut Antarcticus dorso Atlantis imineat: quum enim nos, ut aiunt Astronomi, *Sphaeram obliquam* habeamus, quippe quia aequator horizontem nostrum ad angulos obliquos fecat; nullo modo Orbem concipere possumus polum Arcticum fere verticaliter elevando; quod iis tantum contingit, qui sub ipso poli rigore degunt, quique propterea *Sphaeram parallelam* habere dicuntur; nam illis aequator parallelus est ad eorum horizontem: mihiqve videbatur, ut ad Atlanticam allegoriam perfecte servandam debuisset Artifex polos horizon-

taliter disponere, ut *Sphaera recta* haberetur; quum enim concipiamus Atlantem fere sub aequatore caput Caelo sustinere, debuerat Sphaera ad illam loci positionem dirig', ut aequator ad angulos rectos incideret in horizontem, qui Sphaerae status Atlanticis populis, aliisque, qui sub eodem aequatore degunt, adsignatur. Quapropter conveniebat, ut Atlas eo statu nobis Sphaeram repraesentaret, quo illam eius capiti impositam intellectu concipimus.

Verum enim vero quum circulum *semper adparentium* diligenter observassem, et ex eius amplitudine, cuius femidiametros fere est graduum XL. (si tamen in minutis hisce supputationibus fidendum est nostro huic schemati non adeo diligenter excepto) cognovi Sphaeram directam esse ad parem Borealis poli elevationem, quam in animo habuit ingeniosus Sculptor, qui non in gratiam Atlantidum, sed Graecorum, atque Italorum hanc Sphaeram insculptam illorum ingenio, atque oculis subiiciebat. At nihilominus difficultas illa mea minime tollebatur; nam in eadem quoque hypothese elevationis graduum XL. polus Arcticus, plus quam par erat, elevatum videbatur; adeo ut aequator obliquos angulos acutissimos cum horizonte describeret; ampliores vero circulus rectae ascensionis, a quo sectio verni aequinoctii definitur, ita ut nullo pacto videretur polum Arcticum summam fere Caeli partem obtinere debuisse.

At artificio huius Marmoris diligentius examinato, facile cognovi cautissime Sculptorem processisse; nullam enim horizontis rationem habuit, sed potius Physicum rei statum respexit, ut quodammodo imperfectionem artis Astronomicae, quae ea aetate manca habebatur, studiose occultaret. Constat enim Antiquos opposita nobis signa, atque in circulo nunquam adparentium comprehensa, pe-

nitus ignorasse, ut miraculi instar haberetur, si quando Aegyptum praetergressi, Astrum Canopi in temone Navis Argo conlocatum, de quo Plinius Lib. VI. Cap. 22. ignotum nobis observassent. Quo respexit Virgilius Aeneid. VI. vers. 796.

————— *Iacet extra sidera tellus,
Extra anni, Solisque vias, ubi caelifer Atlas
Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.*

Et Lucanus :

*Aethiopumque solum, quod non premeretur ab ulla
Signiferi regione poli, nisi poplite lapsa
Ultima curvati procederet ungula Tauri.*

Vt vero Sculptor hoc Astronomiae detrimentum occultaret, totum circulum nunquam adparentium ita humeris, et cervici Atlantis adcommodavit, ut ex quadam sculpturae necessitate, quae demonstrari non poterant, obvelaret.

Haec tamen industria non in hoc tantum, sed et in ceteris Atlantis simulacris adhibita est; nam non aliter nobis describuntur, quam quod axem verticaliter dispositum sustinerent, polumque Arcticum in sublime positum, ostentarent. Virgilius Aeneid. IV. vers. 481.

*Ultimus Aethiopum locus est, ubi maximus Atlas
Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.*

Et Ovidius Metamorph. II. vers. 297.

————— *Atlas en ipse laborat;
Vixque suis humeris candentem sustinet axem.*

Et Lib. XI. vers. 175.

————— *mibi maximus Atlas
Est avus aethereum, qui fert cervicibus axem.*

Et Pausanias , ubi in Atticis Arcam Cypseli describit

Sustinet axem Atlas , idemque hic mala relinquet .

Quod adeo obtinuit , ut quum aquilonarem plagam ^{notis} indicare vellent , illam tanquam Caeli verticem ^{descripserunt} descriperint . Aratus in Phaenomenis :

————— *pars mersa sub undis*
Oceani , pars celsa sub horrifero Aquilone .

Et Virgilius Georgic. I. vers. 242.

Hic vertex nobis semper sublimis : at illum
Sub pedibus Styx atra videt , Manesque profundi .

Auctoritas Mythologiae hunc usum confirmavit : quum enim , ut saepe diximus in Notis ad GEMMAS ASTRIFERAS , putarent in ea Caeli plaga virorum principum animas conlocari ; convenientissimum videbatur , ut illam maxime in eorum honorem adtollerent , ut quodammodo ex summa caeli arce Romanum Imperium despicerent simul , et tuerentur . Nec obstat , Poetas aliquando pro axe , aut polo Caelum intellexisse : quum enim potissima subsit ratio , cur litteraliter de polo intelligerent ; inane videtur ad translatos sensus recurrere .

C A P V T X V .

Distanciae , et latitudines circulorum huius Globi scrutantur , et cum recentioribus comparantur .

QVAE haftenus diximus manifesta fiunt ex huius Globi Tabula III. in qua polus conlocatus est in
ver-

vertice A. circa quem describitur Circulus semper adparentium L. m. n. cuius semidiametros, ut diximus, est graduum XL. quoto spatio polus ab horizonte rationali adtollitur, et ad cuius elevationem disposita videtur haec Sphaera; adeo ut videatur antiquum Sculptorem in ora Tarentina versatum esse, atque ad illius longitudinem hunc Globum adcommodasse: est enim fere graduum XL vel XLI. Quapropter horizon in hac Sphaera ducendus esset a puncto L. in oppositam partem Circuli nunquam adparentium, qui in hac Tabula occultatur; polus vero eclipticae constituendus esset inter A, et L in medio finu Draconis, distans gradibus XXIII. m. 29. a polo Boreo A.

Antiquiores Astronomi Circulum polarem multo amplio-rem, quam quod apud nos habeatur, extendebant. Vt enim placet Hygino Lib. I. ambae Vrsae in ipso inclusae habebantur: *Circulus Arcticus adpellatur, quod intra eum Arcturi simulacra, ut inclusa, perspiciuntur: quae signa a nostris Vrsarum specie ficta, Septentriones adpellantur.* Sed magis praecise eius amplitudinem taxavit per haec verba eodem Lib. I. *In triginta partes unumquodque Hemisphaerium dividitur — Deinde ab eodem principio Boreo, sex partibus ab utraque ex utraque finitione sumptis, circulus ducitur, cuius centrum ipse est polus finitus: qui Circulus, Arcticus adpellatur.* Hanc eandem mensuram retinuit Manilius Astronom. Lib. I. vers. 364.

*Circulus ad Boream fulgentem sustinet Arcton,
Sexque fugit solidas a Caeli vertice partes.*

Hae vero partes constabant singulae ex sex gradibus: quapropter poli Arctici semidiametros constitit Antiquis ex gradibus XXXVI. quum nobis non excedat gradus XXIII;

et

et min. IX. quotis distat polus eclipticae a polo Mundi. Ratio tamen cur Antiquis latius pateret Circulus Borealis, ea fuit, quod apud ipsos tota illa regio Septentrionalis, quae intra gradus XL. comprehenditur, si numerationem a Polo incipiamus, vel inhabitabilis, vel ignota haberetur: quum vero deinde frequentari a nobis coepta sit, in angustiora spatia oportebat coarctari. In hoc autem Marmore Sculptor Polos praetermisit, et illorum vice Circulos adparentium, et non adparentium substituit; quia quum in supposita Poli elevatione fere cum polaribus Circulis, iuxta eius aetatis supputationem convenirent, unico, signo duplex officium explevit.

Sed haec differentia Circuli Borealis inter antiquum, et recentem Globum, haud magni momenti, aut usus censetur; nam Geographos potius, quam Astronomos tangit. At non sic de diversa Zodiaci declinatione, quae certis quibusdam, ac manifestis signis demonstratur. Tropicorum distantiam Antiqui in partibus octo constituebant, et sic in gradibus XLVIII. et propterea spatium graduum XXX. utrumque Tropicum a polis distare constituerunt. Ita ad rem Hyginus loco citato: *Ab hoc Circulo (polari) de reliquis partibus quinque sumptis, Circulus ducitur, qui περιὸς τροπικὸς adpellatur. Ab hac Circuli significatione, quatuor de reliquis partibus sumptis, ducitur Circulus Aequinotialis.* Idem quoque colligitur ex Manilio loco citato vers. 567.

*Alter ad extremi decurrens sidera Cancri,
Et quinque in partes Aquilonis distat ab orbe.
Tertius in media Mundi regione locatus,
Quattuor et gradibus sua fila reducit ab aestu.*

Huic partitioni perfecte respondet noster hic Globus ;
nam

nam Tropici distant ab aequatore $\frac{4}{60}$, proptereaque gradibus XXIV. quum recentibus observationibus compertum sit utrumque Tropicum ab aequatore distare grad. XXIII. min. 29. quotis distat polus eclipticae a polo Mundi: hinc totalis declinatio eclipticae, iuxta recentes observationes, differt ab antiqua grad. 1. $\frac{2}{60}$, rursus vero distantia Tropicorum a circulis polaribus, quae ab Antiquis numerabatur in gradibus XXX. a recentioribus vero computatur in gradibus XLIII. min. 2. $\frac{2}{60}$.

Alteram demum discrepantiam intervenire intelligimus inter antiqui Globi, et recentis partitiones; nam Antiqui adsignabant latitudini Zodiaci gradus tantummodo XII. qualis adparet in globo Atlantico; quum novis observationibus compertum sit eius latitudinem esse pariter graduum XVIII. min. 4. proptereaque veterem excedere gradibus VI. $\frac{4}{60}$, quod praecipue cognoscitur a maximo Veneris recessu, quem Antiqui minime adsecuti sunt.

Superfunt declarandae quatuor maiorum Circulorum sectiones, quae in Tabula III. IV. V. et VI. totum Globum sursum deorsum in duas partes dividunt a polo Arctico ad Antancticum, quique propterea Zodiacum in quatuor partes obliquas secant: ceteros vero quinque circulos parallelos ad angulos rectos dividunt. Hos Graeci *Coluros*, hoc est *sustentatores* adpellant. Horum officium est quatuor anni tempora determinare in locis, ubi per puncta aequinoctialia, et solstitialia transeunt. Sic in Tabula III. sectio a B. ubi intercedit eclipticam in primo Arietis gradu, Aequinoctium vernum constituit, nempe mense Martio; tunc enim ecliptica aequatorem interfecat: ubi vero, ut in Tabula IV. eclipticam secat in Tropico Capricorni, Solstitium efficit aestivum, diesque longissimos,

et

et aestatem inchoat mense Iunio : dein vero iterum occurrens , ut in Tabula V. A. et B. eclipticae , quae lineam aequinoctialem adtingit , in primo gradu Librae , quo mense Septembri evenit , iterum Aequinoctium autumnale efficit . Quum demum , ut in Tabula VI. eadem sectio A. B. eclipticam adit ad remotum Capricorni Tropicum , recedentem , nempe mense Decembri , Solstitium hiemale constituit , diesque omnium brevissimos .

Circulus vero rectae adscensionis , qui horizontis loco est in Sphaera recta , proindeque recta Stellarum adscensio inde determinatur , in primo Arietis gradu aequatorem secare concipitur . Sed maxime in hoc differt Sphaera vetus , et nova , quum ob *praecessionem* Aequinoctiorum , ut a Copernico nuncupantur , ab Eudoxi tempore ad Ptolemaeum , notabiliter ea linea situm mutaverit , multoque magis inde ad hanc usque aetatem recessisse videatur . Eius *praecessionis* ea causa adsignatur , quod axis terrae directionem sensim inmutet , et tardissimo quodam motu annorum Aegyptiorum 25816. circa polos Zodiaci contra Signorum seriem , hoc est ab Ortum in Occasum describat , cuius diametros sit grad. XXIII. et XL. inde vero fieri oportuit , ut mutuae aequaturis , et eclipticae intersectiones , vel puncta aequinoctialia simili motu contra Signorum seriem in praecedentia ab Ortum scilicet in Occasum aliquantum quolibet anno transferantur . Hinc sequitur aequinoctialia puncta sensim declinare , et loco moveri ; constat enim Eudoxi aetate , hoc est CCCXXX. annis ante Christum , Aequinoctii verni punctum , hoc est intersectionem eclipticae cum aequatore , constituisse in prima Arietis stella . Inde vero ad Ptolemaei aetatem , hoc est anno Christi CLII. quum ea stella inde recessisset versus Orientem , spatium graduum $7\frac{3}{4}$

ut

ut aliquibus visum est, seu potius grad. VI. et XLI. ut in ipso calculo demonstravit Cassinius in Historia Parisiensis Academiae MDCCVIII. ad eum usque annum, a prima Arietis iam per gradus XXIX. declinaverat; adeo ut singulis septuaginta annis integrum gradum conficiat, ac prope modum iamiam Aequinoctium vernum integro signo ab Ariete distet, et Pisces subeat; adeo ut ad Caeli partitionem retinendam, opus fuerit duplicem Zodiacum inducere, *rationalem* quidem unum, in duodecim aequas partes constanter divisum, et *invisibilem*, quorum nec aequae partes sunt, neque in eodem situ, nec numero constantes; nam, ut praemisimus, nonnisi undecim aliquando computatae sunt, et quorum puncta pro tropicis adfigendis ob enunciatas praecessiones fallacia esse deprehenduntur. Ceterum magni momenti fuerat differentias haec inter utrumque Globum antiquum, et recentiore adnotare, ut quantum posterius profecerint cognoscamus. Inde etiam ratio eruitur cur pleraeque Constellationes in hoc Marmore proprium locum vel excedant, vel ab eo retrahantur: quum enim circulorum dispositio mutata sit, consequens fuerat antiquam positionem cum recentiore non convenire; quas discrepantias, ubi de iis singillatim agendum erit, prosequemur.

C A P V T XVI.

*Asterismi in hoc Globo conspicui numerantur;
deficientium vero causa speculatur.*

SUPEREST, ut singulos asterismos in huius Globi superficie descriptos enumeremus, atque cum aliis iam
Vol. III. H vul-

vulgatis conferamus. Horum Antiqui XLVII. tantum agnoverunt, ex quibus XX. parti Septentrionali adsignaverunt, ceteros Meridionali. Nunc eos, qui in hoc FARNESIANO GLOBO observantur per singulas Tabulas, expendamus.

T A B V L A III.

- | | |
|--------------|----------------------|
| 1. Cepheus | 9. Piscis Boreus |
| 2. Cassiopea | 10. Aries |
| 3. Andromeda | 11. Taurus |
| 4. Perseus | 12. Gemini |
| 5. Heniochus | 13. Orion |
| 6. Cycnus | 14. Eridanus |
| 7. Pegafus | 15. Cetus |
| 8. Delphin | 16. Piscis Australis |

T A B V L A IV.

- | | |
|----------------|-------------------------|
| 1. Cancer | 7. Vas |
| 2. Leo | 8. Corvus |
| 3. Virgo | 9. Centaurus |
| 4. Canis maior | 10. Lepus |
| 5. Navis | 11. Cathedra Cassiopeae |
| 6. Hydrus | |

T A B V L A V.

- | | |
|-----------------|---------------------|
| 1. Bootes | 6. Scorpius |
| 2. Corona Borea | 7. Lupus |
| 3. Hercules | 8. Ara |
| 4. Serpentarius | 9. Corona Australis |
| 5. Libra | |

TABVLA VI.

- | | |
|----------------|-----------|
| 1. Sagittarius | 4. Aquila |
| 2. Capricornus | 5. Lyra |
| 3. Aquarius | 6. Draco. |

Hinc videmus Constellationum numerum adscendere ad XLII. pluresque praetermissas, quae etiam ab Antiquis indubitanter numerabantur, inter quas hae ex Vitruvio supplendae sunt.

- | | |
|---------------|----------------|
| 1. Vrsa maior | 4. Equuleus |
| 2. Vrsa minor | 5. Canis minor |
| 3. Sagitta | |

Has si cum praecedentibus supputemus, integrum numerum, atque communem XLVII. Constellationum completum observabimus. Causam vero huius defectus tribuimus detrimento Marmoris, quod in summa parte turpiter labefactatum est, ubi ea Signa constare debuerunt. Praeterea occultatur sub dextera Atlantis manu Canis minor: Sagitta vero, quum Aquilae haereat circa sinistram alam, facile cum eodem Signo confusa est; quod et Equo minori contigit, qui quum maiori subiiciatur, facile est duo Signa in unum coaluisse. Si vero huius nostri Globi Constellationes comparemus cum illis, quae ab Hygino numerantur, superabundare in ipso observabimus signum *Deltoton*, quod in nostro Globo vel excidit, vel omissum est. At contra, quae in hoc observantur, et apud Hyginum defunt, haec sunt:

- | | |
|-----------|------------------------|
| 1. Vas | 4. Corona Australis |
| 2. Corvus | 5. Cathedra Cassiopeae |
| 3. Lupus | 6. Libra |

quam Hyginus, Antiquorum morem sequutus, cum Scorpio confundit ; nam Aegyptii , atque Chaldaei XI. tantum Zodiaci Signa cogoverunt : quapropter Ovidius de duplici hoc Signo ait :

Porrigit in spatium Signorum membra duorum .

Lupum praeterea deesse nihil mirandum est , quum Antiqui eius stellas Centauro adiunxerint . Cathedra vero Cassiopeae in hoc Globo supra Cancrum conlocatur , ubi in ceteris decurrit Eridanus , neque ab ipsa Cassiopea discretus est . Ceterum , quod praeterrmittantur ab Hygino Vas, Corvus , et Corona Australis , quum e contra a Manilio numerentur ; id adtribuo veterum Codicum interpolationi , quum haud facile credi possit Scriptorem ceteroquin adcuratissimum memoria lapsum esse . Antinuum praeterea frustra quaerimus in hoc Globo ; ut enim auctoritate Xyphilini supra Cap. XIII. adnotavimus , ille sub Hadriano Principe inter sidera relatus est , detractis a constellatione Aquilae duodecim stellis , quae illi adtributae sunt .

C A P V T XVII.

Mythologice describitur tota Astrothesia , ut in Tabula III. et singularum Constellationum dispositio cum recentibus Globis comparata expenditur .

I. **C**EPHEVS : Hunc Euripides cum ceteris , Phoenicis filium , Aethiopum Regem , esse demonstravit , Andromedae patrem , quam ceto propositam notissimae historiae dixerunt :
banc

hanc autem Perseum a periculo liberatam uxorem duxisse. Itaque, ut totum genus eorum perpetuo maneret, ipsum quoque Cephea inter sidera numerasse. Ita Hyginus Astronom. Lib. II. 9. cui adfentitur Aratus in Phaenomenis:

*Iasides etiam Caelum cum coniuge Cepheus
Ascendit totaque domo; quia Iupiter auctor
Est generis* _____

2. CASSIOPEA. De illa Hyginus haec tradit loco citato: *Vt gloriata sit se forma Nereidas praestare: pro quo facto inter sidera sedens in siliquaastro constituta est; quae propter impietatem, vertente se mundo, resupinato capite ferri videtur. Hanc Lib. III. ampliolem describit, quam quod heic adpareat, et revera sit: Effigies autem corporis ad aestivum circulum pervenit, quem capite, et dextra manu tangit.*

3. ANDROMEDA. *Haec dicitur Minervae beneficio inter astra collocata, propter Persei virtutem, quod eam coeto propositam a periculo liberarit. Hanc inter polarem circulum, atque tropicum Cancri constituunt recentiores Astronomi, sinistro tantum illius brachio excepto, quod versus aequinoctialem protendunt; at in hoc Globo, pectore tenus, ad aequatorem producitur.*

4. PERSEVS. Clarum ipsum reddidit, praeter cetera facinora, de Gorgonibus reportata victoria. Hinc consecratus, in Caelo

Suasque Perseus aureas stellas habet.

Seneca loco citato, et Aratus:

*Tantus ut ille micat, tantum occupat ab Ione Caeli
Dextra sublata similis prope Cassiopaeam
Sublimis fulget; pedibus properare videtur,
Et velle aligeris purum aethera tangere palmis.*

Huius finistrum crus, et humerum laevum circulus aestivus. a reliquo corpore dividit: ipse manu dextra Arcticum circum tangit, ut ait Hyginus Lib. III. Neutrum tamen recentioribus probatum est, qui illi tantam amplitudinem non adtribuunt: revera, nec in hoc Globo, finistrum crus praeter tropicum protendit.

5. HENIOCHVS. dubium, sit ne Erichthonius:

*Quem primum curru volitantem Iupiter alto
Quadriugis conspexit equis, caeloque sacraovit.*

Manilius Lib. I. vers. 363. de quo rursus Hyginus Lib. II. seu potius iuxta Aratum in Phaenomenis:

————— *vix totas demersus in undas
Diptilos hunc potius species in sidera reddit.*

Hunc nos Aurigam latine dicimus nomine Erichthonium, quem Iupiter quum vidisset, primum inter homines equos quadrigis iunxisse, admiratus est ingenium hominis, ad Solis inventa adcessisse. Eius descriptio, quam eiusdem Lib. III. habemus, recentibus observationibus respondet: Huius dexter pes Tauri corno sinistro stella coniungitur. In Marmore vero nostro aliquantulum a Tauro recedit.

6. CYCNVS:

*Proxima fors Cycni, quem Caelo Iupiter ipse
Imposuit formae pretium, qua cepit amantem.*

Manilius Lib. I. v. 337. nam fabulantur esse inter sidera collocatum; quod sub eius forma Nemefin vitiaverit, ut etiam ex Hygino accipimus. *Sinistram eius alam habet paululum extra circumlaevum; aestivus autem circulus rostrum eius a reliquo corpore dividit: ut habetur apud eundem Astro-*

nomum

nomum Lib. III. quae omnia respondent in hoc Atlantico Marmore : at non sic in recentiori partitione , cuius rationem suo loco adduximus ; nam ampliore spatio invicem a se recedentibus polari circulo , et tropico , Cycnus apud nos neutrum tangit .

7. PEGASVS . Adcensitum fuisse sideribus , quod pedis ictu Heliconem fontem excitaverit , tradit Aratus :

Vertice cum summo nondum decurreret unda

Museos fontes dextri pedis ictibus hausit .

Inde liquor genitus , nomen tenet Hippocrenem .

*Fontes nomen habent , sed Pegasus aethere summe
Veloces agit pennas , et sidere gaudet .*

Hic : pedibus aethivo orbe niti , extremo ore caput Delphini tangere videtur : ut scribit Hyginus in III. In recenti vero Globo aethivum circulum pedibus transcendit , et a Delphino aliquantulum recedit ; nam inter utrumque Equus minor interpositus est .

8. DELPHIN . De eo Manilius Lib. I. vers. 346.

Tunc quoque de Ponto surgit Delphinus ad astra ,

Oceani Caelique decus , per utrumque sacratus :

Quem rapido conatus Equus comprehendere cursu

Festinat , pectus fulgenti sidere clarus .

Hyginus in II. id honoris illi adtribuit auctoritate Eratosthenis , quod nuptias inter Neptunum , et Amphitriten conciliaverit ; in III. vero Libro eius caudam ad aequinoctialem usque circulum producit ; quamquam in nostris Globis , per multos gradus inde recedat . Hoc etiam in Marmore hoc Atlantico observatur .

9. PISCIS BOREVS . Ferunt Venerem cum Cupidine,
quum

quum Typhonis Gigantis iram fugeret, in Euphrate piscium figuram accepisse, atque ita periculum evasisse, ut narrat in II. de Stellis Hyginus. Ex his, qui Boreus nuncupatur, describitur ab eodem Hygino in III. inter aequinoctialem, et aestivum circulum; cui descriptioni respondet nostrum Marmor. At secundum recentes Astronomos caput paene totum ab aestivo circulo producit versus Boream.

10. ARIES. Hunc principem vocat Manilius in I. vers. 263.

Aurato princeps Aries in vellere fulgens:

cuius dignitatis rationem adsignat Macrobius in Somn. Scip. Lib. I. Cap. 21. *Hanc autem rationem iidem illi cur Arietem, quum in Sphaera nihil primum, nihilque postremum sit, primum tamen dici maluerit, prodiderunt. Aiunt, incipiente die illo, qui primus omnium luxit, idest quo in hunc fulgorem Caelum, et Elementa purgata sunt, qui ideo Mundi natalis iure vocitatur, Arietem in medio Caelo fuisse.* Hic aliquando Hellen per mare cum Phryxo detulit: illa vero, quum in mare delapsa interiisset, nomen Helleponto fecit. Ovidius Trist. III. Eleg. XII. vers. 3.

*Impositamque sibi, qui non bene pertulit Hellen,
Tempora nocturnis aequa diurna facit.*

Quum vero Phryxum incolumem deduxisset, ipse gratiam Arieti referens, mactatum Iovi sacrificavit. Aureum vero vellus, futurum aliquando Argonauticae expeditionis argumentum, eidem Iovi in Templo dedicavit. At aequior Iupiter Arietem non modo locavit in Caelo; sed etiam Zodiaci antesignanum esse voluit.

II. TAURVS :

*Ora micant Tauri septem radiantia flammis ,
Narvita , quas Hyadas , Graius , ab imbre vocat .*

Ovidius Fastor. V. vers. 165. sed non Hyadas tantum , quin immo et Pleiadas in hoc signo consistunt , cum geminis aliis stellis , quas , a parentum nomine *Atlantem* , et *Pleionem* , nuncupant Astronomi . Quapropter haec constellatio tota Atlanticae Familiae addicta est . Haec quum bene nosset ingeniosus huius Marmoris Sculptor , supra frontem Atlantis id signum conlocavit , ut primo obtutu spectatoribus occurreret . Taurum ad eam dignitatem euectum tradit Euripidis auctoritate noster Astronomus in II. quod Europam in Cretam adduxerit : quem sequutus est Seneca in Herc. Fur. Act. I. Sc. I.

*Hinc , qua tepenti vere laxatur dies ,
Tyriae per undas vector Europae nitet .*

Quod pertinet ad eius positionem , placuit Antiquis Aequinoctium eius genua interfecare : quod praeter Hyginum , hoc etiam Marmor declarat . At nostris Astronomis totus fere inter aequatorem , et aestivum circulum consistit , excepto cornu Boreo ; immo nec ipsum aliqui excipiunt , qui clavam in eius cuspide locatam Aurigae adsignant .

12. GEMINI :

*Hinc clara Gemini signa Tyndaridae micant ,
Quibusque natis mobilis tellus stetit .*

Capita eorum a reliquo corpore dividit nobis aestivus circulus : quam opinionem etiam Hyginus sequutus est , stellasque clarissimas , unam in capite Castoris , alteram in

collo Pollucis , *Apollinem* , atque *Herculem* nominant . At in Marmore Farnesiano Pollux , qui ex Geminis Australis est , vix media cervice aestivum circulum exsuperat .

13. ORION :

Hic ferro minax terret Orion Deos .

Seneca loco citato . Multa de eius exortu fabulantur . Hyginum tamen in II. Ovidius sequutus est , qui Fastor. V. ex trium Deorum urina in corium vitulinum iniecta , refert fuisse procreatum . Hinc Dianae comes adiunctus , illam a Scorpii ictu vindicavit , quo peracto ,

————— *Latona nitentibus astris*
Addidit , et meriti praemia , dixit , habe .

Illum graphice describit Manilius in Lib. I. vers. 377.

Cernere vicinum Geminis licet Oriona ,
In magnam Caeli tendentem brachia partem .

Tribus stellis clarissimis in cingulo exornatur ; quarum prima aequinoctialem signat tam in antiquis , quam in recentibus Globis .

14. *ERIDANVS* . Hunc alii Nilum , alii Oceanum esse tradiderunt , quem sui vastitate imitatur ; nam a Tauro ad Hydram extenditur , et a polo Australi ad aequatorem , de quo Aratus :

Huius pars undae laevum ferit Orionis
Lapsa pedem procul amotis , qui Piscibus usus
Vincula coniecat , nodus cristam super ipsam
Aequore Pistris adit . —————

15. *CETVS* . De hoc dicitur , quod a Neptuno missus sit

fit, ut Andromedam interficeret; sed a Perseo fit interceptus: sed propter immanitatem corporis, et virtutem inter sidera conlocatus. Fabulam videre est post Hyginum apud Ovidium quoque Metamorph. IV. Cetum vero ita describit nobis Manilius Lib. I. vers. 423.

*Quam propter Cetus convolvens squammea terga
Orbibus insurgit tortis, et fluctuat alvo:
Intentans morsum, similis iam iamque tenenti,
Qualis ad expositae fatum Cepheidos undis
Expulit adveniens ultra sua littora pontum.*

Hunc medium dividit Hyginus hiemali circulo, eamque positionem Auctor nostri Marmoris imitatus est; nobis vero eam lineam minime excedit.

16. PISCIS AUSTRALIS. Hunc alio nomine Notium ex adpellatione venti, ad quem deflectit, nuncupant. Interfecatur vero nobis ab aequatore; quamquam Hyginus non aequatori subiectum, sed proximum esse tradat. In nostro quoque marmoreo Globo, vix aequinoctium tangit, a quo per medium dissecari debuisset.

C A P V T X V I I I .

Astrothesia Tabulae IV. per partes explicatur.

CANCER. Huius signi originem ita recenset Lib. II. Hyginus: *Dicitur Iunonis beneficio inter astra conlocatus; quod, quum Hercules contra Hydram Lernaeam constisset, ex palude pedem eius mordicus adripuisset etc.* Hunc

medium dividit aestivus circulus , ut eidem Astronomo placuit . Nec inde recessit Auctor Atlantis , et Astronomi recentiores .

2. LEO. Ex quo ab Hercule in Nemeæ confossus fuit, eius animam demissam in Infernum fabulatus est Teocritus in *Hercule Leonicida* . At contra Hyginus in hanc Caeli partem eam evectam , et sideribus ornatam tradidit ; putavitque per medium ab aestivo circulo scindi , qualis propemodum in orbe Farnesiano sculptus est . At nobis vix media cervice ab eo circulo segregatur .

3. VIRGO . Alii alio nomine illam adpellant^o : ut plurimum vero conveniunt Astream esse , quae in prima hominum aetate in terris versabatur :

*At postquam argenti crevit deformior aetas ,
Deseruit prope terras instissima Virgo ,
Et Caeli sortita locum , qua proximus illi
Tardus in Occasum sequitur sua plaustra Bootes .*

Hanc circulo aestivo coniunctam nobis repraesentat Hyginus : at in Atlante Farnesiano inter eundem circulum, atque aequinoctialem constituitur ; quamquam nobis ab hoc ultimo interfecetur .

4. CANIS MAIOR . Hic quondam Europae datus custos, in dominium cessit Procridis, quod venationis studiosissima haberetur , cuius signum

Cum tetigit Solis radios accenditur aestas :

ut cecinit Aratus . Aetate Hygini per eius posteriores pedes hiemalis circulus ducebatur . Verum in nostris Tabulis ea linea Canis pectus interfecat , eandemque opinionem Auctor huius Marmoris amplexatus est ; sed non ex hoc

uno loco constat Sculptorem nostrum Hygini scientiam antecelluisse, quum in multis, in quibus ille erraverat, nostris observationibus hoc Marmor proxime ad verum adcedat.

5. NAVIS. De ea Manilius Lib. I. vers. 402.

————— *Tum nobilis Argo*
In Caelum subducta, mari quod prima cucurrit;

nam a Iasone constructa intentatum adhuc mare subegit. Huius puppim hiemalis circulus fecat, in quo cum Hygino, et Farnesiano Marmore recentes etiam consentiunt. At non sic de inferiori carina, quae iuxta veteres circulo antarctico innititur; qui tamen, quum nobis contractior sit, ut alibi dictum est, longius ab eo limite illa recedit.

6. HYDRVS. Hunc Apollo in Caelum conlocavit, ut Corvo superexstanti potum in proximo cratere prohiberet: poenas de ipso fumens, quod aliquando cum poculo missus ad aquam in usus sacrificii hauriendam, ficus immaturos adortus, eo usque moratus est, donec maturerent. Fabulam videre est apud Hyginum, qui constellationem hanc inter aequinoctialem, et hiemalem circulum includit; ita tamen, ut praeter aequinoctium, caput protendat ad circulum aestivum; cui descriptioni respondet hic noster Globus: at recentioribus ita sub Corvo sinuatur, ut postremum eius volumen hiemalem circulum transgrediatur, ubi tribus stellis ornatum cernitur.

7. VAS, seu CRATER. Huius constellationis origo ex superiore fabula eruitur. Illius dispositio, quae tangit manubrio aequinoctium, recentiorum Tabulis adprime respondet,

8. CORVVS. De hoc dictum supra, ubi de Hydrofermonem habuimus.

9. CENTAVRVS ; de quo Manilius in I. vers. 408.

————— *Duplici Centaurus imagine fulget ,
Pars hominis , tergo pectus commissus equino .*

Chironem esse finxerunt Centaurorum iustissimum , et sapientissimum , a quo Achilles , et Aesculapius educatus est ; at fortuito sagittae casu , ab Hercule in pede sauciatus , occubuit , et a Iove ob virtutes egregias in Caelo conlocatus est , ut saepe citatus Hyginus enarrat : qui eum , uti revera est , inter Antarcticum polum , et hiemalem circulum includit ; at in Globo hoc Atlantico a scapulis hunc limitem excedit .

10. LEPVS. Canem Orionis fingitur devitare , quam aliis placuerit , ut refert prae laudatus Hyginus , inter astra fuisse conlocatum ob memoriam vastationis , quam lepores in immensum propagati in insula Lero adtulerunt . In marmoreo hoc orbe pedibus instat hiemali circulo , quemadmodum in nostris observatur ; at Hyginus illum adeo deprimit , ut inferiorem partem corporis ab eo circulo dividi ostendat .

11. CATHEDRA CASSIOPEAE. De hoc signo penitus diffito ab altero ipsius Cassiopeae apud Astronomos , quos haecenus vidi , altum silentium est . Quum tamen Antiqui maiorem Arcton in circulo polari penitus incluserint , credibile fit ex quatuor stellis , quae pedem priorum Vrsae exornant , constellationem hanc effecisse ; situs quippe , et forma non dissentiant .

C A P V T XIX.

Astrothesia Tabulae V. enucleatur.

1. **B**OOTES. Hunc ita delineat Manilius in I. vers. 316.

*A tergo nitet Arctophylax, idemque Bootes,
Quod similis iunctis instat de more iuuentis;
Arcturumque rapit medio sub pectore secum.*

Hunc^o Arcadem esse tradunt Calistus, et Iovis filium, qui cum matrem in Vrsae speciem conversam infectaretur, a Iove in Caelum una rapti sunt. Ipse inter Arcticum circulum, et aestivum conlocatur ab Hygino in III. quamquam si recentes audiamus, a genibus infra aestivum circulum excedit. Per medios eius humeros ducit Hyginus in III. circulum, qui per utrosque polos transiens, tangit Arietem, et Chelas. Circulum indicare videtur ascensionis rectae, per quem determinatur sectio autumnalis, et verna, de quibus in Tabula III. et V. At in nostro Globo haec linea totum Bootem excludit; quod addidit ex causa praecessionum, quae inter aetatem huius Marmoris, atque Hyginum facta est: constat enim hunc circulum, ut suo loco diximus, sensim moveri, et transferri, prout Zodiacus rationalis paullatim discrepat a sensibili.

2. CORONA BOREA.

Gnossia desertae haec fulgent monumenta puellae:

Juti de ipsa scribit Manilius in I. vers. 323. et de ea rursus in V. vers. 253.

Tollentur ab undis

Clara Ariadneae quondam monumenta Coronae.

Hu-

Huius vero adcessum inter sidera describit Ovidius Metamorph. Lib. VIII. vers. 381.

————— *Vtque perenni*
Sidere clara foret, sumtam de fronte Coronam
Immisit Caelo. tennes volat illa per auras:
Dumque volat, gemmae subitos vertuntur in ignes;
Consistuntque loco, specie remanente Coronae;
Qui medius, nixique genu est, anguemque tenentis.

3. HERCVLES. Istius apotheosin multis describit idem Ovidius Metamorph. Lib. VIII, vers. 268.

Sic, ubi mortales Tirynthius exsist artus,
Parte sui meliore viget; maiorque videri
Coepit, et angusta fieri gravitate verendus:
Quem Pater omnipotens inter caeva nubila raptum,
Quadriungo curru radiantibus intulit astris.

Conlocatur ab Hygino in III. inter circulum aestivum, et polarem, ut hunc adtingat pedibus, alterum humero: nec longe abest huius Marmoris auctoritas, in quo dexteram tantum manum exserit a circulo aestivo: Clavam recentes adpellant. At nobis a circulo Arctico longius recedit, et pectore tenus aestivam lineam transgreditur.

4. SERPENTARIUS. Hunc esse tradunt illum Getarum Regem, qui unum ex Draconibus Triptolemi interfecit: quem ideo Ceres serpente circumvolutum in Caelo locavit; de quo Manilius dicto Lib. I. vers. 331.

Serpentem magnis Ophiuchus nomine signis
Dividit, et toto mergentem corpore corpus
Explicat, et nodos sinuataque tergat orbes.

Huius humeros ab aestivo circulo dividi tradit idem

nomus , quod etiam in Globo Farnesiano deprehenditur : per eius genua transeunte aequinoctiali , et hiemalem pedibus adtingente ; at apud nostros Astronomos clara in eius oculo , quam Arabico nomine *Raf-Alague* nuncupant , media fere est inter aestivum circulum , et aequatorem .

5. LIBRA . Hanc ita cum Scorpio Veteres confundebant , ut unicum signum constituerent . Huius Constellationis origo a physica ratione ducitur : quum enim ibi Sol aequo spatio noctes , diesque partiatur , et veluti aequa lance distribuat ; eum locum hoc signo veteres distinxerunt^o , de qua Manilius Lib. I. vers. 267.

*Aequato tum Libra die cum tempore noctis
Adtrahit ardenti fulgentem Scorpion astrò :*

6. SCORPIVS . In caelo Iunonis beneficio sideribus adiectus est , quod eius iussu a Tellure genitus , Herculi infidias paraverit . Dicitur vero duorum signorum spatia occupare ; eo quod inter eius chelas Libra suspensa sit ; quod indicavit Ovidius Metamorph. Lib. II. vers. 195.

*Est locus , in geminos ubi brachia concavat arcus
Scorpius ; et cauda , flexisque utrimque lacertis
Porrigit in spatium signorum membra duorum .*

Extrema cauda circulum hiemalem contingere , et aequinoctialem circulum sustinere dixit Hyginus ; quod plane intelligendum est de Libra ; quae ex aequinoctio pendet ; non vero de Scorpionis corpore , quod longe distat ; imo per medium fere secatur a circulo hiemali .

7. LVPVS . Ita adpellant recentiores hanc Constellationem , seu potius alterius partem ; nam cum Centauro in unum coalescit , de illa Aratus :

*Seu praedam a silvis portat , seu dona propinqua
Placatum Deos Culton Iovis admonet arae .*

Hyginus quoque victimam adpellat , quam Centaurus ad aram defert , *quae pedibus , et extremo ore circulum hiemalem tangit* : cui sententiae adhaesit Globi huiusce marmorei Sculptor ; quamquam apud nos aliquantulum inde recedat .

8. ARA . De hac Manilius Lib. I. vers. 411.

*Ara nitet sacris , vastos cum terra Gigantes
In Caelum furibunda tulit . Tunc Dii quoque magnos
Quaesivêre Deos .*

Paucisque interiectis :

*Tunc Iupiter Arae
Sidera constituit , quae nunc quoque maxima fulgent .*

Et Lib. V. vers. 335.

*Ara ferens thuris stellis imitantibus ignem ,
In qua devoti quondam cecidere Gigantes .
Nec prius armavit violento fulmine dextram
Iupiter , ante Deos quam constitit ipse Sacerdos .*

Ab Hygino conlocatur , *Antarcticum circulum prope tangens* : at Globus Farnesianus ad recentiorum dispositionem magis adcedit , a quibus non modicum distare observatur .

9. CORONA AUSTRALIS . Hanc Ixionis rotam esse tradunt inter sidera conlocatam , ut divinae ultionis adversus impios perenne monumentum esset . De hac silentium est apud Hyginum , et Manilium . In Globo tamen Farnesiano praetermissa non fuit ; licet paene circulo Antarcticum commendata , media inter ipsum , et hiemalem circulum conlocata sit .

CAPVT XX.

*Astrothesia, quae in sexta, et ultima Tabula exhibetur,
postremo expenditur, et elucidatur.*

1. **S**AGITTARIVS. Crotum hunc esse tradunt Musarum conlactaneum, qui quum ingenio maxime, et pedum agilitate polleret, ac peritia sagittandi, post mortem in Caelo conlocatus, biformem hanc speciem nactus est, ut triplicis virtutis testimonia in eo consecrata perennarent; quapropter ita circumscribitur a Manilio in Lib. I. v. 270.

Mixtus equo, volucrem misurus iamque sagittam.

Hic a pedibus usque ad humeros in hiemali circulo conlocatur ab Hygino, ita ut solummodo caput extra eum circulum habere videatur. Talis propemodum adparet in Marmore hoc Atlantico. At in nostris Globis ea linea per eius pectus ducta est.

2. **C**APRICORNVS. Hunc Pana esse tradunt in Caelo conlocatum Iovis beneficio, quod cum ipso nutritus fuisset, et eius auxilio Gigantes subiecisset. Postremam vero eius partem abire tradunt in Piscem; eo quod hanc formam, quum Typhonem vereretur, in Nilo assumisset. Dividi ab hiemali circulo per medium dixit Hyginus, quum vix crura illius in novis Globis attingat. At in Globo Farnesiano ea linea per eius collum ducta est. Nobilitavit praecipue hoc signum natalem diem Augusti, de quo in Gemmis Astriferis, in quibus saepe recurrit, multa dicta sunt.

3. **A**QVARIVS. Alii Cecropem, cuius aetate aqua,

quam ille fundit, in potu habebatur, esse dicunt; alii Deucalionem, sub quo cataclysmus contigit; alii demum Ganymedem Iovi poculum ministrantem, ut ex Hygino colligitur; cuius sententiâ pedem habet in hiemali circulo, a quo revera non longe abest, etiam iuxta recentiorum observationes; recurrente per eius oculos aequinoctiali circulo; a quo tamen valde distat in Globo nostro marmoreo.

4. A QVILA. In Caelum relata est, quod Iovi fulmina ministraverit, de hac idem Manilius:

— *Tum magni Iovis Ales fertur in altum
Adsueto volitans, gestet ceu fulmina Mundi,
Digna Iove, et Caelo, quod sacris instruit armis.*

Alterum quoque eius meritum a Veteribus recensetur, quod Ganymedem rapuerit; de quo Aratus:

*Vnguibus innocuis Phrygium rapuit Ganymedem,
Et Caelo adpositus custos, quo Iupiter arsit,
In puero luit exscidio, quem Troia furorem.*

De hac supra dictum est, ubi de constellatione Antinoi loquuti sumus; nam ex una duae factae sunt; quapropter amplio rem illam Antiqui cognoverunt. Hygini tempore eius rostrum a reliquo corpore dividebat circulus, seu colurus Solstitiorum, qui a Cancro ad Capricornum pervenit. Quum vero hic circulus, qui in Tabula VI. notatur in A. B. aliquantum ab eo situ recedat, id tribuendum est praecessioni inter aetatem huius Marmoris, et Hyginum secutae. Hac vero nostra aetate adeo processit sectio aequinoctialis, ut paene iam Aquila tota ab eo exclusa sit.

5. LYRA . In Caelo reposita est , ut Orphei meritis gratia referretur . Manilius Lib. I. vers. 324.

*Et Lyra diductis per Caelum cornibus inter
Sidera conspicitur , qua quondam ceperat Orpheus
Omne quod adtigerat cantu , Manesque per ipsos
Fecit iter , domuitque infernas carmine leges .
Hinc caelestis honos , similisque potentia causae :
Tunc silvas , et saxa trabens ; nunc sidera ducit ,
Et rapit immensum Mundi volubilis orbem .*

6. DRACO . Longum fidus , quod magnam poli Arctici partem occupat , dicitur ; de quo Virgilius Georg. I. vers. 244.

*Maximus hic flexu sinuoso elabitur anguis
Circum , perque duas in morem fluminis Arctos ,
Arctos Oceani metuentis aequore tingui .*

Ipsum quoque graphice nobis describit Aratus in Phaenomenis :

*Has inter medias , abrupti fluminis instar ,
Immanis serpens sinuosa volumina torquet
Hinc , atque hinc , superatque illas mirabile monstrum :
Cauda Helicen superat , tendit simul ad Cinosuram
Squammihero lapsu , qua tendit ultima cauda .*

Haec Constellatio ex Atlanticis Fabulis pendet : ferunt enim hunc Iunonis beneficio splendescere , quod Hesperidum Hortos , et poma aurea custodiens , ab Hercule necatus sit : sive , ut Hyginus subdit , Serpens ille est , quem Minervae Gigantes obiecerunt , et contortum inter sidera proiecerit , quibus postea adhaesit . Circulum Arcticum capite adtingere

gere tradidit idem Astronomus ; at in hoc Globo marmoreo totus intra circulum Boreum conclusus est ; quum tamen iuxta recentiorum mensuras non parum extra ipsum proferatur .

Haec sunt , PRAESVL AMPLISSIME , quae de insigni hoc et singulari Monumento praenotanda duxi . Plura , quae me fugerunt feliciori ausu doctiores Viri scrutabuntur , praesertim vero qui Astronomicis studiis addicti sunt ; quorum observationes a perraro hoc , et usque adhuc delitescente Monumento firmabuntur : nam non parum interest ad scientiarum progressus expediendos rudiora artium principia , et veluti abortiva intueri ; quum iam intelligamus multa etiam nobis deesse , quae tanta Antiquis addidimus

Integro Volumine ATLANTEM FARNESIANVM se inlustraturum promiserat Franciscus BLANCHINIUS , Praesul doctrina ac morum sanctitate celeberrimus , qui plane , utpote scientiae Astronomicae peritissimus , Eruditorum ingenio , atque expectationi fecisset satis ; sed postmodum compluribus curis sensim ingruentibus distentus , quae exquisitis observationibus meditatus fuerat , non perfecit ; et fortasse adhuc in Adversariis eius plura , quae adnotavit , latitant . Non pauca tamen , quae ad Constellationes pertinent , erudite exposuit , praesertim in Decade III. *Historiae suae universalis* , ubi de Heroicis Temporibus agit ; quam Historiam auctoritate , et fide vetustorum Monumentorum probavit . Multa notatu digna cum BLANCHINIO observavit Celeberrimus CASSINIUS , Christianissimi Galliarum Regis Astronomus , ex quo ATLANTEM FARNESIANVM una simul Romae in Palatio Farnesiorum Principum scrutati sunt , et singularum Constellationum di-

distantias , situs , et ordines mutuis studiis adnotarunt ; quod contigit anno CIO. IO. C. XCV. Postquam hi summi Viri perinsigne hoc Vetustatis , ac fideralis Scientiae CIMELIVM peruestigarunt , adeo eius fama ubique increbuit , ut celebriores fere omnes cum Italiae , tum Europae Academiae in lucem statim illud prodire exoptarint. Profecto mirum videtur , quod Praestantissimi omnis Antiquitatis Observatores , et Interpretes MABILLONIVS , et MONTFAVCONIVS , ille in suo Itinere Italico , hic in Diario Italico , FARNESIANVM ATLANTEM ANTIQVVM non solum non indicaverint inter reliqua Romanae magnificentiae , et eruditionis Monumenta ; verum etiam de eo penitus siluerint. At doctissimus Praeful BLANCHINIVS , ut per totum Orbem fama tam conspicui FARNESIANI GLOBI volitaret , tum ATLANTIS , tum Caelestis Orbis imagines sex Tabulis exprimendas suis sumtibus curavit : cuius laudes in eruendis ex oblivione vetustis monumentis inlustrandisque tantae sunt , ut optime ei conviniat illud Manilianum elogium :


*Quis Caelum possit , nisi Caeli munera nosset ,
Et reperire Deum , nisi qui pars ipse Deorum est ?
Signorumque Choros , ac Mundi flammea tecta .*

Quod vero nunc publica luce hic CAELESTIS GLOBYS marmoreus fruatur , deberur Praeclarissimo eius Nepoti IOSEPHO BLANCHINIO , Romani Oratorii Presbytero , Scriptorum celebritate conspicuo , de Ecclesia Dei , ac Sancta Sede egregiis laboribus suis optime merito , qui GORIO amico suo optimo summa cum humanitate , ut in hoc Opere prodiret , adiectis meis hisce Observationibus , communicavit : quod pro coronide huius Commentarii


mentarii praenotandum cenſuimus . In fine nunc adiicimus imaginem HERCVLIſ Caeleſtem Globum ſuttinentis , ut hanc ab Atlante ipſo non parum differre cognoſcamus ; nam e dextro humero recidit Nemaei Leonis exuvium : Atlas vero toto corpore nudus eſt ; de quo ſupra dixi- Cap. VII. pag. 32. et non pauca ex antiquis Scriptoribus adtulimus .



J. V. Sc.



*Atlantis Maximi statua marmorea, sustinens Globum Caelestem, astrorum signis orna-
 tum; et alteri genu innixa, qualis à Philostrata describitur imaginum libro 2.^o; sculpta Verò
 etate Antoninorum: uti colligitur ex collocatione Asterismorum, relatâ ad sphaeræ Circulas,
 ibidem expressos; et collatâ cum Tabulis et observationibus à Ptolemaeo peractis eodem
 seculo; necnon cum nummo Antonini Pii, obsignato Tr. Pot. XX, et exhibente
 idem simulacrum Atlantis: quod effusum ex uestustis rudicibus Urbis modò assen-
 uatur in Palatio Farnesiano ad Campum Floræ.*



*Prospectus Primus antiqui Globi Caelestis, ab Atlante suffulti, cum Asterismorum signis, et Sphaerae circulis, qualis apparet
 oculo constituto prope planum Aequinochorum, et intuenti sectionem Vernam, respondentem Atlanti dorso in Statua Ear-
 nesiana. AB Sectio circuli Ascensionis, recte ducti per Cornu Arctis. DE Circulus Aequinoctialis. FGH Tropicus Canceri.
 IK Tropicus Capricorni. LMN Circulus semper apparentium Maximus in elevatione Poli graduum 40. Z. X R
 Ecliptica. IPQH Zodiaci fascia. Asterismi. 0 Draconis pars. 1 Cepheus. 2 Cassiopea. 3 Andromeda. 4 Perseus
 5 Heracles. 6 Cygnus. 7 Pegasus. 8 Delphinus. 9 Piscis Boreus. 10 Aries. 11 Taurus. 12 Gemini. 13 Orion. 14 Erida-
 nus. 15 Cetus. 16 Piscis Australis. X Sectio Verni Aequinoctii praecedens primam in Cornu Arctis gradibus & gate Ptolemei.*



F.P.R.

*Conspectus alter Globi Celestis dorso Atlantis impositi in antiqua statua Farnesiana, ex adverso Coluri Sol-
 stitiorum AB in parte estira. CD circulus Aequinoctialis. EF Tropicus hyemalis. G H circulus nunqu-
 am apparentium maximus in elevatione Poli Borei grad. 40. IO K Tropicus Aestivus. L M circulus
 semper apparentium maximus in eadem eleu. Pol. NOP Ecliptica. ISTQ RV Fascia Zodiaci or-
 nata signis 1 Tauri, 2 Geminorum, 3 Cancri, 4 Leonis, 5 Virginis. Reliqua Asterismi extra Zodiacum, 6
 Canis Major, 7 Navis, 8 Hydrus, 9 Vas, 10 Corvus, 11 Centaurus, 12 Orion, 13 Eridanus, 14 Perseus, 15 Heriocus, 16 Cathedra Capri.*



Prospectus Tertius Globi Celestis ab Atlante Farnesiano suffulti, respondens pectori status, oculo constituto in plano Coluri Aequinoctiorum, et inspectante sectionem Autumnalem. A.B.C. Circulus Ascensionis rectae ductus per lucidam in Cornu Arietis et per genua Asterismi Virginis. D. sectio Autumnalis. D.B. Praecessio Aequinoctiorum etate Ptolemaeae. E.F. Circulus Aequinoctialis. G.H. Tropicus Aestivus. I.K. Tropicus Hyemalis. L.M.N. Circulus nunquam apparentium Maximus in latitudine graduum 40. Asterismi. 1. Bootes. 2. Corona Borealis. 3. Hercules. 4. Serpentarius. 5. Leo. 6. Virgo. 7. Libra. 8. Chela Scorpionis. 9. Scorpii cauda. 10. Hydri pars. 11. Vas. 12. Corvus. 13. Centaurus. 14. Lupus. 15. Ara. 16. Corona Australis. 17. Navis.




*Prospectus Quartus Globi Celestis Farnesiani, oculo inspectante Sinistrum latus Atlantis a quo
 fulcitur. AB Colurus Solstitiorum. CD Circulus Aequinoctialis. EF Tropicus Canceri. GN Circulus Sem-
 per apparentium maximus in latitudine grad. 40. M. B. K. Ecliptica. Asterismi. 1. Sagittarii pars. 2.
 Capricorni pars. 3. Aquarius. 4. Piscis. Boreus. 5. Serpentarius. 6. Aquila. 7. Delphinus. 8. Pegasus. 9. Bootes. 10.
 Hercules. 11. Corona Borealis. 12. Lyra. 13. Cygnus. 14. Andromeda. 15. Cassiopea. 16. Draco. 17. Cepheus.*


D E G E M M A
P A S T O R A L I
D I S S E R T A T I O I.
IOANNIS BAPT. PASSERI
I. C. ET VICARII PISAVRENSIS

CLXXXVII

° PASTOR OVIFER °



Sardae inscal. in Museo
d. Abb. Gen. Chiappini



J.V.Jo.

Ex Schedis Delin. Et. Sen. Bonarroti

DE GEMMA PASTORALI

DISSERTATIO I.

AD AMPLISSIMUM PATREM

D. IOSEPHVM ALEXANDRVM
CHIAPPINIUM

CANONICORVM REGVLARIVM LATERANENSIVM
ABBATEM GENERALEM
MERITISSIMUM



X quo mihi concessum est, PRAESVL AMPLISSIME, ac SAPIENTISSIME, Te coram adloqui, atque illam doctrinae tuae opinionem, quae maxima in me semper fuit, eloquii tui experimento amplificare, nihil constantius in votis habui, quam observantiam in Te meam testimonio aliquo comprobare. At opportuna mihi se obtulit occasio quum in GEMMIS ASTRIFERIS explicandis, quas mihi amicus noster Gorius de litteris meritissimus obtulit, Gemmam hanc tuam PASTORALEM, omnium

proculdubio dignissimam offendi ; quam ubi commentariolo profecutus essem , nulli melius , inscribendum esse censui , quam Tibi de re tua . Fateor harioli ingenium potius , quam mythologi id monumentum postulare ; ut maxime dubitem Ethnicis ne , an Christianis , seu potius Haereticis Basilidianis , Gnosticis , aut Marcionitis , tribuenda sit . In ea Iuvenis expressus est inter oves constitutus , qui ovem aliam humeris defert ; additis asterismis Solis , et Lunae , et obscurissimis characteribus nullum fere sonum reddentibus . Hanc igitur iuxta triplicem sensum explicare conabor , integrum Tibi iudicium reservans utri factioni tribuenda sit . Tu interim divinarum , atque humanarum scientiarum consultissimus , praesertim vero omnigenae Antiquitatis peritissimus , dum otium vacat , in hac contentione dirimenda animum parumper intende , quam quidem excitatam magis , quam compositam , meis hisce scriptis observabis .

II. Agnoscunt Ethnici in Iuvene isto agnum humeris deferente , Mercurium Criophorum , ut illum vocat Pausanias in Boeoticis , de quo haec tradit : *Quod vero ad Mercurii Tempia duo adinet , quorum alterum Criophori , idest Arietem portantis ; Promachi , hoc est propugnatoris , alterum nuncupant : superioris quidam cognominis eam esse causam dicunt , quod pestilentiam Mercurius averterit , circumlato in murorum ambitu ariete ; ob eamque rem Mercurium Tanagraeis Calamis fecit arietem humeris portantem . Qui sane puberibus ceteris forma praestare indicatus fuerit , is festo Mercurii die agnum humeris portans , muros circumambulat .* Ex quibus postremis verbis constat , non arietem modo , sed et agnum Criophoro Mercurio , seu eius imagini , fuisse impositum , quod consonat cum nostro hoc typo .

III. Oves hinc inde dispositae clare ostendunt, Deum illum habitum fuisse gregum praesidem, et custodem. Idem Pausanias in Corinthiacis: *Mercurius ex aere sedens visitur, cui adhsit aries; quod unus prae ceteris Mercurius greges tueri, et augere existimabatur: quam rem Homerus in Iliade his versibus significat:*

*Hic tibi natus erat, pecoris ditissime Phorba,
Quem sibi prae ceteris carum Cyllenia proles
Ditarat Teucris.* —————

Quapropter ab Hesiodo in Theogonia stabulis pecorum, praesidere dicitur una cum Hecate; cuius quidem carmina Latinis modis reddita haec declarant:

*Quid quod Mercurio comes sit, stabulisque capellas,
Armentumque ferax, et oves augere putatur;
Ex modico multum, ex multo facit ille pusillum,*

IV. Sol, et Luna, quorum insignia heic adiecta sunt, facile indicant utrumque Planetam fausta radiatione fertilitatem inducere, et pestem placatos avertere. Hinc Horatius in Carmine saeculari vers. 29. quod eidem Soli, et Lunae inscripsit, inter cetera haec ab illis precatur:

*Fertilis frugum, pecorisque Tellus
Spicea donet Cererem corona:
Nutriant foetus, et aquae salubres,
Et Iovis aurae.*

Iratum enim Solem pestilitatem immittere valuisse, iam diu dixerat Homerus Iliad. I. Inde et Virgilius Aeneid. III. vers. 137. quam spreto eius Oraculo:

————— *Tabida membris,*
Corrupto caeli tractu, miserandaque venit
Arboribusque satisque lues, et lethifer annus.

V. Inscriptio circa Pastorem exarata nullum sensum reddit, immo nec pronuciari quidem potest: ut adfirmare possumus, illam ex nulla cognita lingua compositam esse; sed ad libitum peculiaris alicuius sectae, cui aenigmata haec tantum constarent, esse confictam. Unica vox ΙΑΗ in media area inscripta nobis innotescit. Haec vero eadem est ac ΙΑΩ, nomen in Antiquitate Gemmaria usitatissimum: in qua quidem litterae Η. Π. ω. saepissime pro Ω, usurpantur, sive ob Scalptorum imperitiam, sive ob varium scribendi stylum; seu denique ad obscuritatem adfectandam. Haec vero dictio importat unum ex Apollinis cognominibus, ut manifeste evincitur ex Macrobio Saturnal. Lib. I. Cap. 18. ubi haec profert: *Huius versus auctoritas fundatur Oraculo Apollinis Clarii, in quo aliud quoque nomen Soli adiicitur, qui in iisdem sacris versibus inter sacra vocatur ΙΑΩΣ. Nam consultus Apollo Clarius, quis Deorum habendus sit, qui vocatur ΙΑΩΣ, ita effatus est:*

Dic omnium supremum Deum esse ΙΑΩ
Hieme quidem Plutonem, ac Iovem vere incipiente,
Et Solem aestate, autumno vero mollem ΙΑΩ.

Huius Oraculi vim, Numinis, nominisque interpretationem, qua Liber Pater, et Sol ΙΑΩ significatur, exsequutus est Cornelius Labeo in Libro, cui titulus est: DE ORACULO APOLLINIS CLARII.

VI. Quanquam vero Macrobius ad Apollinem, iuxta proprium institutum, eius vocis significationem trahere conetur,

netur,

netur, proprie tamen hoc nomen Baccho adtributum fuisse cognoscitur; quod eo certius esse puto, quum alia quoque eiusdem Dei cognomina ex eodem principio detorta esse videantur, et ad Genium Graecae linguae adcommodata. Inter haec vero nomen IACCH, quod licet a ΙΑΧΩ *clamare*, seu *vociferare* deducant Grammatici; intelligimus tamen id nomen inter eius Dei arcana numeratum: unde *vocem Iacchi mystici* adpellat Herodotus Lib. VII. et *Iacchum mysticum* cantari consuevisse tradit Arrianus Lib. II. Hinc etiam fortasse factum est alterum Bacchi cognomen HYES, ut colligitur ex Plutarcho in Libro de Iside, et Osiride, qui Graecorum morem secutus, illud e Graecae linguae fontibus contendit derivare: quod quam inane sit, facile colligitur ex iis, quae scripsit Strabo Lib. X. nempe id nomen cum ceteris Sabaziorum mysteriis e Phrygia fuisse additum: et Aristophanes testatur IEN in Deos peregrinos habitum. Mihi tamen ea magis adridet opinio, quod haec et similia nomina e lingua primigenia mutuata sint, ut in Indigitamentis late probabimus, et infra dicemus. Quod adinet ad nomen ΙΑΩ, non ex hoc uno Macrobiani loco illud Ethnicis innotuisse cognoscimus; nam in Libris quoque Sybillinis memoratum legimus, ut infra dicendum erit: quapropter si universum huius Gemmae complexum expendamus, nihil omnino obstat quin totam putemus Gentilibus esse referendam.

VII. Sed nihilo debiliora sunt argumenta, quibus Christiani eam sibi vindicent. Si illorum insculpta Marmorata, Sarcophagos praesertim, percurramus, qui apud Bosium, et Aringhium obvii sunt, familiarissimum observabimus typum *Boni Pastoris* sub ipsissimis lineamentis expressum: et ne Romam subterraneam adire cogamur, indicabo Ar-

cam sepulcralem nuper Roma Virbinum adductam , et in Sacello Albanae Gentis conlocatam , quae eodem emblemate exornatur . Eadem imago occurrit et in Christianorum Lucernis , quarum multas in nostro Museo adfervamus . Obvia praeterea est in vitreis Coemeteriorum lamellis apud Bonarrothium , et Boldettium evulgatis , et quarum mentio est apud Tertullianum de Pudicitia Lib. x. per haec verba : *Ille forte patrociniabitur Pastor , quem in Calice depingitis .* Haec vero allegoria ex sacris Evangeliiis desumpta est , in quibus Christus se *Pastorem Bonum* profitetur , qui errantem ovem studiose conquistam reducit ad ovile , ut est apud Lucam Cap. XIV. vers. 5. *Et quum invennerit eam , imponit in humeros suos gaudens , et veniens domum , convocat amicos , dicens illis , congratulamini mihi , quia inveni ovem illam , quae perierat .* Oves hinc inde ad pedes dispositae ad parabolam eandem adludunt , et fere semper incitatis Monumentis , et in musivis operibus eidem imagini adiunguntur . In his vero quandoque cum haedis alternantur , ut hi sinistram , oves vero dexteram obtineant : sub qua specie tremendum Dei iudicium praefignatur ; de quo Matthaeus Cap. XXIV. 2. *Congregabuntur ante eum omnes gentes , et separabit eas ad invicem , sicut Pastor segregat oves ab haedis : et statuet oves quidem a dextris suis , haedos autem a sinistris .*

VIII. Expendamus modo , quo pacto nomen ΙΑΩ Christo Domino conveniat . At neminem puto in Hebraicis rudimentis vel mediocriter versatum reperiri , cui liquido non constet id unum esse ex Dei nominibus decurtatum ab ineffabili illo Tetragrammato יהוה ; unde vel maioris reverentiae causa , seu etiam fortasse ad faciliorem pronunciationem , fecerunt יה' *Iab* ; quemadmodum ab alio Dei

nomine אֱלֹהִים, seu אֱלֹהִים *Eloab*, et *Eloim*, compendiarium effecerunt vocem אֵל *El*. Quo vero pacto pronuntiandum veniat Nomen Tetragrammaton, maxime discrepant Masoretæ: conveniunt enim pronunciationem, quam communiter accipit *Ieoab*, improprietatem esse, illamque procedere ex punctis alterius nominis *Elohim*, quæ huic voci commendantur: si enim hæc litteræ secundum propriam potestatem pronuntiarentur, atque ea puncta illis adtribuerentur, quæ secundum grammatice præscriptionem exposcunt, IAO pronuntiari deberet; ut per hæc verba firmat D. Hieronymus in Psalmum 8. *Prius nomen Domini apud Hebræos quatuor litterarum est, Iod, He, Vau, He; quod proprie vocabulum Dei sonat, et legi potest I A H O, et Hebræi אֵפֶטוֹן, id est ineffabile, opinantur.* Eiusdem etiam opinionis est doctissimus Pagninus in Thesaurus Linguae sanctæ. Hanc autem expressionem aliquando Hebræos evulgasse credendum est, quum hoc nomine eorundem Hebræorum Deum nuncupet Diodorus Siculus Lib. 11. *Apud Hebræos Moyses ab IAO, quem Deum vocant, acceptas dare leges, dicebat: ex eoque nomine rursus deformato, Iovem Latini effecerunt, ut constans est Eruditorum opinio: et Mauri Iubam, ut in Lexico Biblico ostendit doctissimus Calmetus; adeoque minime iam dubitamus pro summo, et maximo Deo significando communiter fuisse usurpatum; de quo videndi Clemens Alexandrinus Stromatum Lib. v. et Origenes contra Celsum Lib. vi. Mentio quoque est eiusdem nominis apud Ioannem Tzetzem in Historiarum Chiliade VII. num. 126.*

Hebræis IAO invisibile significat;

Jonas columbam; Ioannes autem gratiam.

Sed fallitur vir Graecus; nam IAO non *invisibilem* significat; sed *per se existentem, sive increatum*: provenit enim

a radice $\eta\eta$ *existere*, ut cum ceteris Grammaticis consentit idem Pagninus, et recentissimus Zanolinus. Hinc propterea recte colligimus, nomen $\text{IA}\Omega$ non modo Christianis cognitum, sed et venerabile etiam existisse.

IX. Nunc cetera parerga huius Gemmae percurramus, Solem nempe et Lunam imagini Pastoris adiunctas. Diximus supra, typum hunc symbolice diem Iudicii praefigurare. Ei vero recte conveniunt Solis, et Lunae asterismi, in quibus magni diei signa praenuncia observabuntur, iuxta illud Lucae 21. et 25. seu quia inter praecipuas Dei creaturas excitantur ut Domino benedicant in Hymno trium Puerorum, et in Psalmo 148. 2. Inter cetera vero Christianorum Monumenta, quae ad hanc Gemmam illustrandam adduci possunt, primum locum sibi vindicat Lucerna Christiana apud Bartolum Part. III. num. 29. in qua idem Pastor cum ovibus suis circumfusis delineatus est, addita Ionae historia, hinc ab ore piscis proiecti, hinc sub umbraculo dormientis. Area superior stellis conspersa est, inter quas Sol, et Luna maxime conspicui sunt; nam Sol sub radiati Iuvenis imagine repraesentatur, ut in Nummis Imp. Aureliani: Luna vero Puellae effigie, cuius caput Lunula silente exornatur. Mirabar aliquando Christianos haec gentilitatis vestigia admisisse; sed ubi illorum veteres sculpturas diligentius ~~evolvere otium fuit,~~ tot, et tanta his similia occurrere animadverti, ut minime iam dubitem quin ea Lucerna tuto Christianis adstruatur. Quod ut manifestius fiat, in huius Gemmae gratiam, nonnulla ex his recensere lubet, ut scrupulum omnem ab his, quibus ea Monumenta in promptu non sunt, evellam.

X. In Sarcophago apud Aringhium Lib. II. Cap. 10. in quo Christi nativitas, et Magorum adoratio repraesentatur, duo Genii titulum sepulcralem adtollunt.

In altero ad pag. 325. in quo Christus sub boni Pa-
storis imagine exsculptus est, iidem Genii defuncti imagi-
nem adtollunt in concha.

Rufus ad pag. 307. 333. 615. et 617. et Lib. IV.
pag. 143. 167. et 395. Genii imaginibus veteris, et novi
Testamenti immixti observantur.

Eorundem Geniorum imagines frequentissimae etiam
spectantur in Sarcophagis Ravennatibus; quanquam indu-
bitanter Christianorum manibus exsculpti sint, et plerum-
que Christianis emblematis exornentur.

Victoriae quoque observantur saepe saepius in Pictu-
ris Coemeterialibus, et occurrunt in altero Sarcophago
Christiano apud Aringhium eodem Lib. III. pag. 253.
palmas, et coronas praeferentes.

Observatur in alio simili Lib. II. Cap. x. imago
Eliae curru quadriiugo igneo in Caelum eVecti, sub quo
cernitur fluvii Iordanis iacentis imago; et aliud fere simi-
le recurrit ad pag. 309.

Similis imago nobis se se offert Lib. II. pag. 331. in
quo expressa est historia Hebraeorum per Mare rubrum
transfuentium, Pharaone insequente.

Eodem Lib. III. pag. 615. videre est Historiam Ioniae,
cui plaudens Triton, buccinam inflat.

Diem, et Noctem conspiciamus Lib. II. pag. 307. Ille
sub imagine Iuvenis facem adtollentis, haec sub aspectu
puellae orantis insculpta est.

Lunae protomen radiatam cernimus in altero Sarco-
phago marmoreo Lib. II. pag. 335.

In Gemma quoque, quam Cangius vulgavit in Disser-
tatione *de inferioris aevi Numismatibus*, capita Iovis, Solis,
et Lunae cernuntur, adposito Christi Monogrammate supra-
prioris caput; cuius rationem in Prolegomenis adtigimus.

XI. Sed quid externa memoramus? Vidisti saepius in meo Museo eburneum Christianum Diptychon, in cuius altera parte Magi Christum Infantem venerantur; in altera vero ipsum Cruci adfixum intuemur; quem adolescentuli duo in altum sublatis exornant; quorum unus discum, Solis manibus praefert; alter vero Lunulam. Haec et plura alia in veterum Christianorum Monumentis observantur, quae nec minimum quidem pietatem offendunt; nam nihil praefecerunt, nisi corpora quaedam naturalia ita perbellè ab Artificibus expressa, qui ab antiquis exemplaribus formas hasce hauserunt. Quid ni? in meis Lucernis Christianis Palladem, Herculem, et Gratias efficitas cernimus, quas ego diu post sublatum Idolorum cultum formatas puto, quum iam Fideles in hisce imaginibus non amplius Numina, sed virtutes, et animi affectiones agnoscerent. Quae quum ita sint, minime mirabimur in memorata Bartoli Lucerna, Solem, et Lunam sub humana specie expressos esse,

XII. Nec levis momenti videntur posticae partis emblemata, quae in fine huiusce meae Dissertationis pro coronide adferuntur, ubi spectari possunt anchora et pisces, ut id opus Christianis adtribuamus; nam haec illorum simbola frequentiora habebantur ex Clemente Alexandrino, quem alibi adduximus, ubi expresse recenset inter cetera *pisces, et anchoram*. Nec a Christianae Religionis professione abhorret nomen possessoris inscriptum huic Gemmae: ΤΕΡΛΛΑ VII, quem velim legas TERTVLLI. Sed haec omnia tanti ponderis non sunt, quin hanc letissimam Gemmam tuam iure merito sibi non vindicent Haeretici, Basilidiani, seu Gnostici, a quibus Magica quaedam amuleta, intermixtis quibusdam Christianis mysteriis, nefarie evulgari solebant, ut notavimus in altera Dissertatione, quam de eorum Gemmis inscripsimus; et quod

quod caput est, ipsum huius Gemmae artificium a Christianorum simplicitate non parum abhorret. Si enim quotquot sunt veteres Gemmas Fidelium percurramus, vix aliquid simile inveniemus; nam illorum anuli quotquot in Coemeteriis extractos in Romanorum penetralibus vidimus, aut aeri incisos perlustravimus, nihil fere continent praeter adorabile Christi Monogramma, cruces, palmas, columbas, navem, et his similia, quae pietatem simul redolent, et Christianam simplicitatem, quam, ex proprio quodam instituto, tenaciter retinebant. Audiamus pro re nostra Clementem Alexandrinum Paedag. Lib. III. ita dicentem: *Sint autem nobis signacula, columba; vel piscis, vel navis, quae celeri cursu a vento fertur, vel lyra musica, qua usus est Polycrates, vel anchora nautica, quam insculpebat Seleucus.*

XIII. Imaginem IESU CHRISTI non respuebant Basilidiani; quanquam multa de illo fabulosa aequae, ac impia effutierint. Nam, ut docet Sanctus Irenaeus adversus Haereses Lib. I. Cap. XXIII. *Increatus, et summus Deus ABRACAX audaciam cernens Dei Hebraeorum, qui Angelorum antesignanus erat, et gentes reliquas potestati Hebraeorum subiicere contendebat; repugnantibus subditis Angelis, qui ceteris Nationibus patrocinebantur, unde inter eos contentiones exortae erant -- videns perditionem ipsorum, misisse Primogenitum suum NUM; et hunc esse, qui dicitur CHRISTVS in libertatem credentium ei a potestate eorum, qui Mundum fabricaverunt (eos Angelos fuisse, mentiebantur) in Genti- bus ipsorum autem adparuisse eum in terra hominem, et virtutes perfecisse. Quapropter neque passum eum; sed Simonem quemdam Cyrenaeum angariatum portare Crucem eius pro eo: et hunc secundum ignorantiam, et errorem Crucifixum, transfiguratum ab eo, ut putaretur ipse esse IESVS. Ab hoc autem incorporeo Num, sub quo barbaro vocabulo Mentem*

tem Dei primogenitam intelligebant, liberatos credentes censebant, ut subdit idem sanctus Doctor: quapropter alienum ab eorum sensu non fuerat exprimere hunc Dei filium sub specie Pastoris agnos. custodientis, et reducentis.

XIV. Praeterea etiam multa in hisce Gemmis, quas communi vocabulo *Basilidianas* adpellamus, et maxima inconstantia deprehenditur; nam ubique sparsim intermixta in illis deprehenduntur semina doctrinae Marcionitarum, et Gnosticorum: quae potissima causa est cur ego constanter teneam has Gemmas a neutra ex his Sectis confectas; sed a Magis Gentilibus, qui ignoranter ista haec prodigia ab omnibus collecta consarcinarunt, ut altera Dissertatione luculentius ostendere conabor: hinc factum est, ut e Gnosticorum penu nomen IAO ubique sparsum sit, quod ipsorum peculiare erat; quodque in hac Gemma IAHN inscriptum legitur. Quid vero Gnostici sub hoc nomine plane mentiti sint, perspicue audiamus ex Divo Epiphanius Lib. I. Cap. XXXIV. qui ubi septenariam Dei generationem ex eorum sententia recitavit, ita huius sobolis nomina exscripsit: *Eum enim, quia matre primus sit, Ialdaboth vocari; eum autem qui sit ab eo Iao: et qui ab eo Sabaoth magnum: quartum autem Adoneum, et quintum Eloem, et sextum Oreum; septimum autem, et novissimum omnium Astaphaeum.* -- Addit praeterea *Ialdaboth* filium edidisse. *Num* in figura serpentis contortum, qui mundana omnia generavit, et patrem tortuositate complexum evertisse. In fine vero secundi Libri hanc eorundem nominum explicationem profert: *Quod enim dicitur Eloë, secundum Iudaicam vocem, Deum significat, et Eloë verum, et Elloeuth, secundum Hebraicam linguam hoc quod continet omnia significat. Quod autem ait Adonae aliquando quidem nominabile, et admirabile significat; aliquando autem duplicata litera Delta*


cum

cursu adspiratione, ut puta Addonei, praesinentem, et separantem Terram ab aqua, nec postea aquam insurgere in eam. Similiter autem et Sabaoth per C quidem Graeca in syllaba novissima scribitur, voluntarium significat; per O autem Graeca, ut a Sabaoth, primum Caelum manifestat. Eodem modo, et Iaoth, extensa cum aspiratione novissima syllaba, mensuram praefinitam manifestat: quum autem pro O Graeca corripitur, ut puta Iaoth, eum qui dat fugam malorum significat.


XV. Reliquam inscriptionem, qua Pastoris figura circumornatur, ut supra indicavimus, nec sensum aliquem reddit, nec sonum, adeo ut minime valeat pronunciari; ita enim se habet ΙΡΤΠΗΘΤ; ut plane tuto affirmari possit non modo a quacumque cognita lingua longe recedere; verum etiam literas omnes vel esse totidem verborum initiales, seu potius significare quasdam potestates, seu virtutes, quas huiuscemodi Gemmarum Artifices in his amuletis invocabant: quod eleganter de Marcionitis tradidit prae laudatus S. Irenaeus Lib. I. Cap. x. qui ceteras omnes, humanis membris ab ipsis adtributas, declaravit: *Vide quid igitur in caput eius sursum primum A, et Ω; collum autem B, et Ψ. humeros cum manibus Γ, et X. pectus Δ, et Φ. cinctum E, et Υ. ventrem Z, et Τ. verenda H, et Σ. femora Τ, et Ρ. genua I, et Π. tibias K, et Ο. crura Λ, et Ξ. pedes M, et Ν. — Hominem autem esse fontem, ait, omnis verbi, et initium universae vocis.* Ex hac vero literarum partitione vestigium aliquod in hac tua Gemma, VIR CLARISSIME, cognoscimus; nam humeris respondet Γ, ventri Τ, femori Ρ, genibus I, quae casu potius, an ex industria ita dispositae sint, affirmare non ausim: quis enim inania haec mysteria Magorum, seu verius dixerim, impostorum, adsequi valeat; quum vix pauca a Patribus, qui ista exhiberunt, tradita habeamus? Si
quid

quid luculentius de hisce gryphis produci potest, id ab omnigena doctrina tua, PRAESVL PRAESTANTISSIME, expectandum est, ut mihi satis gloriae tribuatur, si Te ad Gemmam hanc tuam luculentius explicandam levi hac mea exercitatione excitare studuerim.


CLXX XVIII



ISIS GORIANA
INLVS TRATA
DISSERTATIO II.
IOANNIS BAPT. PASSERĪ
I. C. ET VIC. PISAVRENSIS
REGIAE SOCIETATIS LONDINENSIS
ET IMPERIALIS OLMVCIENSIS
SOCI



*SIGNVM EX AERE HVIVS MAGNITV
IN MVSEO GORIO*



Ex Sarda Mus. Medicei

Ex Achate Mus. Cappello

I S I S G O R I A N A
I N L V S T R A T A
D I S S E R T A T I O I I .
A D I N C L V T O S S O C I O S
R E G I A E S O C I E T A T I S L O N D I N E N S I S
E T
I M P E R I A L I S O L M V C I E N S I S



VEMADMODVM apud Antiquos usu receptum erat , ut Dii quandoque a possessoribus suis denominarentur , ab iis praecipue , quorum cultu , et munificentia dedicati fuissent ; ita non dubitavi , SOCII LONDINENSES , ET OLMVCIENSES Praeclarissimi , atque Ornatiissimi , simulacrum hoc ex aere , quod ISIDEM refert , et simillimum est eius Imagini Astriferae , quae iam edita superius cernitur in Volumine huius Operis secundo Tabula XXVI. Vobis inscribere , et GORIANAM adpellare ;

quod, eodem GORZO curante a me inlustretur, et in lucem nunc primum proferatur; nam in erudita familia, ceterorum inanium Simulacrorum Ethnicae superstitionis, quae in Museo suo Gorius vester Socius, amicus meus suavissimus, et hanc quam servat, veluti cooptatam cernimus: neque arbitror absurdum inde GORIANAM nuncupare, quum sciamus Venerem *Sallustianam*, Dianam *Caricianam*, Iovem *Carvilianum*, aut *Pompeianum* nuncupari, ac nostra aetate Venerem *Mediceam*; quare nulla causa est, quod alienum putemus ab antiquis moribus, si privatorum nomina nomenclaturam hanc adtingant, et Diis ipsis adtributa largiantur.

II. ISIDIS GORIANAE simulacrum istud, et quidem tantae magnitudinis, quanta exhibetur in praeposita paulo ante eius imagine, ex aere optimo constat, quod viridem prisca aevi colorem respuit. Deae apud Aegyptios summa religione cultae caput velamento ornatur undulato; nempe galericulo quodam, unde taeniae paris artificii hinc inde pendentes tempora ambiunt. Superest adhuc in vertice cicatrix, sive foramen dilapsi fastigii, quod ex geminis pennis accipitrinis constabat: quibus divinae mentis omnia simul uno obtutu intuentis velocitatem significabant. Quandoque loti flore, aut perseae foliis pomo interiecto formabatur: quorum mysticas rationes, si Plutarchum adeamus in Libro de Iside, et Osiride, uberrime adsequemur. Aliquando vero id capitis gestamen e serpenticibus constabat: quod exempla ex antiquis Marmoribus, praesertim vero ex Mensa Isiaca expetita, abunde probant, de cuius symboli potestate infra agendum erit. Decussatis circa pectus manibus, ut fere cetera Aegyptiorum Numina, figuram illam exprimit, qua cuncta corpora quadri-

fide

fide dividuntur ; quod praecipue et in Caeli orbe , et in regno elementari observatur : nempe ita figuram illam salutarem , atque antiquis Aegyptiis augustissimam , referebant , quibus , ut ex Horo Apolline Hieroglyph. Lib. II. Cap. 112. adparet , futuram vitam praesignabant , et de qua in Observationibus ad GEMMAS ASTRIFERAS locuti sumus ad Tabulas XXIV. et XXVI. quam postremam significationem eiusdem gestus , seu ritus eo libentius amplector , quum videam hanc crucis imaginem in Deorum Aegyptiorum manibus conlocatam . Gemina vero flagella praeter cetera mysteria , in quibus explicandis Kircherius totus fere detinetur , facile significant Solis , et Lunae cursum , quo Natura , cuius arcana istorum Simulacrorum ambagibus involuebant , moderatur . Isis enim , ut ait Macrobius Saturnal. Lib. I. Cap. 20. *vel Terra est , vel Natura rerum subiacens Soli* : quamquam si diversos effectus , atque mythologicas rationes eiusdem Numinis inspiciamus , non modo Naturam , et Terram , sed et Venerem , et Cererem , praecipue vero Lunam , sub eo nomine intelligebant ; quae officia facile ad unum reducuntur .

III. Quod vero praecipuum huius Sigilli pretium facit illud est , quod duplici dracone eius corpus circumvolutum observatur ; adeo ut Numen istud inter *Serpenticinctos* iure merito adnumeremus : quod plane erat praecipua quaedam nota divinitatis . Nec enim heic enumerare vacat Deos , quos in draconem transformatos , sub anguinea specie apud Veteres colebantur ; quod praecipue Genio ipsi contingebat , Aesculapio , atque Serapidi , ut ex Nummis Nicomediensium apud Spanhemium Dissertatione IV. aliisque in Museo Florentino , et Farnesiano , atque ex anaglyphis apud Fabretum Inscription. Cap. VI. pag. 467. Sponium

in

in rei Antiquariae select. Quaestion. xxxi. et ex Lucernis Musei mei Tom. III. constat; nam hi proprie Dii *Serpentiformes* sunt; minime vero *Serpenticincti*. In istorum vero censu numerandi sunt Dii quidam draconibus conligati, quos ex Marmoribus Romae repertis delineavit V. C. Montfauconius in suo *Itinere Italico*; atque Aesculapius ipse, cuius imaginem circumvoluto serpente horrificam aliquando me vidisse memini. At ceteris frequentius Luna, et Isis *Serpenticincta* exhibita fuit. Sic illam sub nomine Hecates describit apud Persas Firmicus de errore prof. Relig. *Mulierem triformi vultu monstrosis cum serpentibus inligantes; quod ideo faciunt, ne ab auctore suo Diabolo aliquo ratione dissentiant; sed, ut Dea sua serpentibus polluta, maculosis Diaboli insignibus adornetur.* Hinc intelligimus, quae mente, et quo instituto simulacrum Lunae in Tabulis Mithriacis, quae ex eadem Persarum religione procedunt, multiplici serpentum gyro a summo deorsum quandoque conligatum observetur; quippe quia Persici instituti erat Lunam serpentibus implicare. Non dissimili adspectu a Hierapolitanis colebatur, teste Macrobio Saturnal. Lib. I. Cap. 17. qui prope simulacrum Solis describit *signa feminarum: ea cingit flexuoso volumine draco.* Quod vero plurali numero ea signa existerint, iam minime miror; quum et in Mensa Isiaca apud Pignorium prope Mithrae simulacrum geminae huiusmodi imagines femineae spectentur anguineo volumine circumplexae: quibus multiplex Dianae natura, et quod caelestis, atque terrestis, pro vario officio habita sit, repraesentatur; quum triplici quandoque adspectu, in signum unum coalescente, sculpta sit, ut apud Causeum Sect. II. Tab. xx. et in alio marmoreo Signo elegantis artificii, quod in Museo meo adservatur, et Tom. III. Lucernarum publicatum est.

IV. In his vero , quia Graeci artificii sunt , respue-
runt Sculptores exoticum illum horrorem cinctus serpen-
tini : at ne Deam debito symbolo fraudarent , anguem eius
brachio involutum adtribuerunt . Hac ipsa specie et a
Pausania in Arcadicis describitur *Diana cervina pelle ve-*
lata , pendente ex humeris pharetra ; altera manu lampadem ,
dracones duos gestans altera . A Poëtis vero Isis perpetuo
serpentigera describitur . Hinc apud Valerium Flaccum
Lib. IV. Argonaut. vers. 418.

Speñtat ab arce Phari iam Divis addita , iamque
Aspide cincta comas , et ovanti persona sistro .

Ab Ovidio quoque Metamorph. Lib. IX. vers. 693. in
censu eius supellectilis draco numeratur :

Plenaque somniferi serpens peregrina veneni .

Hunc etiam enumerat Apuleius in eius pompa : *Insurge-*
bat aspis , caput extollens arduum , cervicibus altae tamescen-
tibus . Ipsa quoque Dea irata , eius aspidem concitari di-
xit Iuvenalis Satyra VI. vers. 638.

Et movisse caput visa est argentea serpens .

V. Causa huius symboli multiplex , et potissima qui-
dem physica est ; nam quia Luna non recto , sed peristal-
tico , seu vermiculari motu circumfertur , modo ad Bor-
ream , modo ad Austrum deflectens , cuius motus interse-
ctiones Ptolemaeo nodus ascendens , et descendens ; a cete-
ris deinde Astronomis caput , et cauda draconis , et quod
medium est , venter nuncupantur ; nam ii circuitus ipsas
draconum spiras imitantur : cui pariter Aegyptii in mystica
sistri formatione adludere voluerunt , quum virgas illas , per
quas

quas eius motum, adcessusque, atque recessus indicabant, serpentinis cervicibus exornarunt.

VI. Conveniebant praeterea huic Deae serpentes, ipsa etiam Aegyptia religione consentiente, tanquam praecipuo eius terrae Genio: *Nam ipsa Aegypti Genius credita est*, ut ait Macrobius Saturnal. Lib. I. Cap. 21. At Genio tanquam praecipuum symbolum serpens iungebatur, non modo ex instituto Romanorum, ut ostendimus in Observationibus ad GEMMAS ASTRIFERAS Tabula CXXIII. sed etiam ex traditione Aegyptiorum, quod probat Plutarchus in Amatorio: *In Aegypto aliquando vidi vicinos duos litigantes, quum serpens adrepisset, ambos eum bonum Genium vocare, ita quidem ut eum sibi uterque vindicaret.*² At non minori iure serpentem sibi haec Dea usurpabat, ex quo salutis datrix exultimabatur, atque inter Deos servatores salutiferos, ac salutare censebatur. Quapropter illam sic invocat Tibullus Lib. I. Eleg. 111.

*Nunc, Dea, nunc succurre mihi; nam posse mederi
Pista docet templis multa tabella suis.*

Hinc et in Marmore Gruteriano pag. 83. num. 15. et in aliis apud Fabretum Cap. VI. num. 11. et 113. Cap. VI. pag. 470. et in aliis passim, nuncupatur SALVTARIS. Itaque in eius adtributi signum non modo vota pro infirmorum salute illi nuncupabantur; verum et pedum vestigia, et pedum anathemata cum involuto serpente dedicari solebant, ut apud eundem Fabretum loco citato. Cur vero Luna hoc epithetum *Salutaris* adepta sit, paucis declarat Macrobius Saturnal. Lib. I. Cap. 20. *Salus autem naturae Lunaris effectus est, quo animantium corpora iuvantur salutifero firmata temperamento.* Quemadmodum vero Aesculapio ob
idem

idem adtributum serpens coniungitur, ita quoque et Ifidi conveniebat; quod etiam indicavit loco citato idem Macrobius: *Ideo ergo simulacris eorum iunguntur figurae draconum, quia praestant, ut humana corpora, veluti infirmitatis pelle deposita, ad pristinum revirescant vigorem, ut revirescunt dracones per annos singulos, pelle senectutis exuta.* Praeterea, ut docet Eusebius de praepar. Evangel. Lib. I. Cap. 9. *Hoc genus animantis vi, et copia spiritus abundat — diuturnae admodum vitae est, nec solum exuto senio iuvenescit; verum etiam maiora corporis simul, ac virium accipit incrementa.*

VII. Erat praeterea serpens Aeternitatis symbolum, apud Aegyptios, ut nos docet Horus Apollo Lib. I. Cap. I. *Aevum pictura exprimere volentes, serpentem pingunt; cuius cauda reliquo involuatur, ac tegatur corpore.* Hinc id symbolum conveniebat Diis omnibus, praecipue vero Lunae, quam Antiqui credebant esse terminum aeternorum, ut saepe docet prae laudatus Macrobius, praecipue in Somnium Scipionis Lib. I. Cap. 21. ideoque introductum est ut Luna filens apud Romanos symbolum praestaret Aeternitatis; quod etiam superius ostendimus in Observationibus ad GEMMAS ASTRIFERAS. Quod vero ad rem nostram maxime pertinet, et sigillum huiusmodi aeneum maxime inlustrat, illud profecto est, quod quum Aegyptii indicare vellent serpentum adpositu Deorum Aeternitatem, ipsos iidem draconibus circumvoluebant, ut quodammodo Deos aeternitate circumfusa potiri, atque in illa undique immerfos aevum agere, indicarent; quod ex eiusdem Hori Apollinis verbis loco citato desumitur: *Eundem serpentem ex auro conflatum Diis circumponunt.* Hoc vero praecipue contigisse Ifidi, docet in primis memorata pulcherrima Gemma, quae inter Astriferas publicata est Tabula xxv.

quae geminis serpentibus undique innexa cum hac ipsa icuncula mirifice convenit. Hanc ad ornatum huiusce Dissertationis iterum in eius fine exhibendam censuimus. Illud praeterea adnotandum, quod iidem Dracones *Sancti* adpellantur in marmorea ara inscripta Musei Collegii Romani, quam inter Donianas legimus Clafs. I. num. 59. et discimus Dracones Numinibus, et Locis adsignatos a Romanis cultos fuisse.

VIII. Haec quidem, PRAESTANTISSIMI SOCII, tanti ponderis apud me sunt, ut nullus dubitem hoc serpentum gestamen, seu potius ligamentum, quo feraliter, atque horribiliter ISIS GORIANA detinetur, illi iure optimo, atque omnibus mythologiae legibus consentientibus, convenisse. Adtamen (quod meae ingenuitatis est) vereor nullam ex praemissis rationibus in causa fuisse, cur Isis serpentibus cingeretur; addeout vera huius symboli origo adhuc nos lateat. Causa difficultatis in promptu est. Evolvamus, perscrutemur, contrectemus quotquot Ifidis genuina simulacra nobis devicta Aegyptus submisit; genuina, inquam, quorum antiquitas, et vera patria in dubium revocari non potest, eo quia ex Aegyptio lapide basalte, pyrite, ophite, iaspide, et ceteris similibus constant, et ne unam quidem inveniemus *serpenticinctam*. Horum vero simulacrorum comparatione liquido deprehenditur praesens hoc nostrum longe diversa mente, atque intellectu fuisse efformatum, quam quod Aegyptus instituisset.

IX. Auget mihi hanc suspicionem ipsa differentia materiae huiusmodi simulacri; nam aereum est: quum e contra Aegyptiorum primaeva, ac primigenia simulacra semper marmorea habeantur. Potuit fortasse huic instituto aliqua subesse religio: quum enim Aegyptii statuerent humidam Naturam, tanquam rerum omnium principium, re-

pugnare

pugnare videbatur, ut Deos e fornacibus educerent, et magisterio ignis compararent. Inerat praeterea aereis simulacris periculum, ut contracta, in alium usum verterentur: et qui olim Dii fuissent, non sine contumelia in usum viliorem degenerarent; quo periculo marmorei, ac lapidei carere censebantur. Forte etiam simplicius cogitantes, materiam in Aegypto ubique obviam, et a montibus large sine aliqua invidia, et a natura ipsa suppeditatam elegerunt; sapientius reservantes in usum hominum, praecipue belli, atque commercii metalla, quibus Aegyptus destituitur. Quaecumque interim ratio fuerit, usus certe et experientia late comprobant, antiquos Aegyptios remotioribus saeculis metallo lapides praetulisse.

X. Adcedit alia ratio, et quidem iudicio meo validissima, quod hoc, et similia Aegyptiorum Numinum aerea signa longe post devictam Aegyptum, et alibi, quam in patrio solo conflata videantur: quod nempe ea omnia, quotquot sunt, quae certe multa, atque ubique terrarum obvia, si cum primaevis conferantur, valde a primis recedere dignoscuntur. Diversa in his observatur partium dispositio, varia membrorum actio, discrepantia vultus, lineamenta, et quod caput est, ornamenta, symbola, capitum suggestus, ceteraque omnia valde a priori forma discedunt, et elongantur. Quapropter in suspicionem incidi ab Aegyptiis quidem Artificibus illa conflata esse; sed ab his, qui multo numero Romae, ac in tota Italia, atque ubique terrarum degerent, ut contribulium suorum religioni, ac desiderio facerent satis. Quia vero eorum traditio diuturniore peregrinatione refrigescerat, ita novitiis formis illam paulatim corrumpebant.

XI. Huic conjecturae alia ratio quoque adcedit, quam nobis suppeditant imagines Deorum Pantheorum. Has Ro-

mae conflatas esse non modo ostendit ipsa Romani artificii forma, membrisum aptitudo, atque motus, et vestium cultus; verum etiam et dedicationes, atque inscriptiones, quae Latino idiomate conceptae illis quandoque adiiciuntur. Has vero nemo non videt totam spirare Aegyptum; quum plerumque cumlata illa Deorum symbola, vel Isis, vel Harpocrates baiulet; ipsa quoque adiecta symbola Numinum Aegyptiorum referant proprietatem; ut paene visum sit in hoc novo Deorum commento concordasse Latium, atque Aegyptum, et ad incredulorum deceptionem una conspirasse. Hoc vero nulli potius, quam Aegypto intererat, cuius Dii toties e commercio eliminati hisce subsidiis indigebant, ut postliminio extorto illis Italia adsuesceret.

XII. At insurrexit in hac Deorum effingendorum evulgata potestate illa errorum omnium sentina, familia nempe Basilidis, unde Ophitae, ceterique id genus, nescio an dixerim Haereticorum, an potius Gentilium, seu mavis Maleficorum, atque Nebulonum, qui novas Deorum formas, omnium tamen teterrimas invexerunt: quod etiam non obscure ostendunt Gemmae duae, quae pro parergo in fronte huiusce Diatribae exhibentur; altera enim e Museo Mediceo Imperiali depromta est, atque luculenter a Cl. Gorio illustrata in Volumine I. Musei Florentini Tab. LV, num. IV. pag. 125; altera vero ex Dactylitheca Senatoris Veneti Cappello, quae in edito Prodomo Iconico num. 228. proponitur, quae etiam Gemmarum Astriferarum centum auget, atque amplificat. Adeo enim arbitraria fuit huic Sectae species, et imago divinitatis, ut in nullo alio negotio homines magis lusisse videantur, quam in isto; si enim innumeras illas caelaturas, quae huic hominum generi adtribuuntur, oculis subiiciamus (infinite vero sunt, atque in omnium manibus vulgares, atque tritissimae &

vix unam, aut alteram sibi inveniemus sibi similem; nam in omnibus exuberat effraenis illa ingenii libido, quæ quidquid in mentem sibi veniret, manu obsequente efformabat. In his vero omnia Numinum Paganorum genera, qua Romana, qua Graeca, qua Persica, qua Punica, in primis vero Aegyptiaca, recurrunt, ut intelligamus, ex quo potissimum fonte hæc pestis eruperit, cui nova symbola, et plerumque incognita, adiectis plerumque barbaris, et nullius linguae legibus addictis inscriptionibus, ad terrorem vulgi, et fidem operi conciliandam, et ad opes ex ignaris conradendas proprio Marte addiderunt.

XIII. Inter familiarissima vero ornamenta, quibus hosce Deos cumularunt, primum sibi locum adseiscunt serpentes, ut paene visi sint huiusmodi homines inimicitiam omnem, quam rerum Auctor Deus inter illos, et semen mulieris posuerat, sustulisse. De his ita Epiphanius Hæresi xxxvii. *A Nicolao, et Gnosticis, ac prioribus aliis Sectis efflorescerant, quos Ophitas, hoc est anguineos, ab angue illo, quem celebrant, adpellare solent. Sed horrenda sane sunt, quæ homines isti, ut ita dicam, eructant. — Serpentem quippe novi cuiusdam instar Numinis venerantur. — Huius scientiam omnem tribuunt: itaque profitentur serpentem hominibus scientiæ omnem auctorem existisse, indeque fabulas meras, quas pro mysteriis habent, commenti sunt. Tertullianus quoque in Libro de Praescriptionibus hæc de illis tradidit: Qui Ophitæ vocantur, serpentem magnificent instantem, ac illum etiam ipsi Christo præferant. Ipse enim (inquitur) scientiam nobis mali, et boni dedit. Horum adfines Hæretici, ac vanissimi hominum Magi, qui quodammodo Ophitæ dici possunt, suorum operum commune condimentum serpentes esse voluerant. Hisce Gorgoneas imagines suas circa capillos exornant, his quoque illas tingunt, aut sub earum*

pedibus conlocant; has in manibus locant, rati se grande aliquid hominibus praeparasse, quum statis quibusdam diebus, et quibusdam observationibus, quae apud Leonardum nostrum observare datur, *Serpentarium* adversus venena confecissent. Nec difficile fuit monstroso hoc commento plebeculam decipere, quae iam ingenti opinione serpentinae divinitatis apud omnes ferme populos constantissime evulgata detinebatur. Horum vero sculpturas, amuleta, scarabaeos, rhombos, conos, sigilla, omne denique Simulacrorum genus ab eo spiritu conflatos explicare, et minutatim de his differere, idem est ac operam ludere; nam id genus hominum, quia nullis certis regulis obstringebatur, omnia ex ingenio confingebant, illa in primis probant, quae nemo unquam intelligeret. Haec vero experimento magis, et longo usu, quam subtili disputatione probari possunt. Nam in multiplici earundem nugarum perlustratione, ita a se ipsa recedit Antiquitas, ac sibi deformis est, ut primo obtutu videantur commenta puraputaque esse hominum spem credulorum eludentium, et non sine contumelia humani generis iocantium in Religione. Vbi igitur in veterum Cimeliorum collectionibus occurrunt nobis hae rerum species insolitae, quod in Iside hac e Museo Goriano prolata spectamus, quod vel primo intuitu mihi adcidit, suspicari tuto licet inventa ista a communi traditione recedentia, et praecipue quae usitato circulatoribus signo, hoc est serpente, citra modum constantis Antiquitatis ornantur, haec plane omnia ab eo genere hominum facta fuisse, ut in illorum ambagibus explicandis, quas et ipsorum auctores ignorarunt, tempus minime conteramus: ea interim reservantes tristibus illis Antiquitatis Cultoribus, qui solo ductu ingenii, sine mechanico veterum Monumentorum usu, atque diuturna con-

DISSERTATIO II.

III

tractatione, quae maxime necessaria est, intra pomeria Librorum conclusi se se ad Antiquitatem explicandam convertunt. Huic meo calculo, si vestrum adcedet, SOCII DOCTISSIMI, longe maius pretium huic Goriano Simulacro, et meae huic Dissertationi, quam vestro praeclaro nomine ornare volui, luculentissimus splendor adcedet.

XXVI



DE ANIMARVM
TRANSVECTIONE
DISSERTATIO III.
IOANNIS BAPT. PASSERI
I. C. ET VIC. PISAVRENSIS

CLXXXIV CLXXXV

MITHRA
ANIMARVM TRANSVECTIO



*Heliotrop Inscal. apud Nob. Comitum
Rodolphum Struglio Aquileiensem*



Marm. long. palm. II Pisauri in Museo Passerio

D^o E A N I M A R V M
 T R A N S V E C T I O N E
 D I S S E R T A T I O . I I I .
 A D V I R V M C L A R I S S I M V M
 I A C O B V M B V F F I V M
 P A T R I C I V M P I S A V R E N S E M
 A N C O N I T A N O R V M A R C H I A T R V M

NOVA iterum benevolentiae tuae testimonia ad me delata sunt, BVFFI, VIR DOCTISSIME, ac NOBILISSIME, quum eximium antiquum Marmor, per Te a squalore vindicatum, mihi dono datum esse voluisti; in quo Adolescentuli anima equo ad Elyfios transvecta repraesentatur: cuius imaginem in fronte huiusce Dissertationis exhibendam, amicissimo GORIO auspice, curavi. Eo vero gratius hoc mihi contigit, quo per id tempus inter GEMMAS ASTRIFERAS inlustrandas, una simul mihi contemplandum ipse

obtulit eximium prisca aevi Cimelium, simillimo ornamento decoratum, quod heic iterum adlatum cernis; ut uno eodemque studio, et ipsum explicatum iri non dubitem. In argumentum igitur observantiae erga Te meae, lucubratiunculam hanc meam Tibi dicatam volui: quae utpote a te excitata, tibi quoque referenda esse videbatur.

I. Marmor quod a Te accepi, ineditum adhuc est, atque inlitteratum. Duo tamen huic fere similia vulgavit Fabrettus Inscriptio. Domest. Cap. III. pag. 161. et 162. in quorum primo, quum eiusdem pueri, qui insculptus est, sepulchralis Inscriptio contineatur, non dubitabimus credere omnia huiusmodi quotquot sunt, feralem aliquam caeremoniam, sive etiam mavis, mysterium, quod ad animarum statum pertineat, continere. Labet heic adferre eandem epigraphen, quae omnem nodum solvit:

ΓΑΤΚΩΝ . ΕΤΗΜΕΡΩ
ΤΩΤΕΚΝΩ . ΜΝΕΙΑΣ ΕΝΕ
ΚΑ. ΖΕΣΑΝΤΙ. ΕΝΙΑΤΤΟΝ. Α
Μ . Ι .

quae sic Latine redditur:

GLYCON EVHEMERO
FILIO MEMORIAE GRA
TIA. VIXIT. ANNO I.
MENSIBVS X.

Id autem monumentum per haec verba ibidem explicavit idem Fabrettus: *Fingitur, ut puto, infantem istum Eubemerum ad Elysiū campum, sive Hesperidum hortos, delatum, ut per-vigilem Draconem eorum custodem sibi devinciat, propitiumque reddat ad aram, accenso igne, sub ingressum positam; patra,*
quam

quæ defert, libationem peragere velle, quo sibi aditus ad priorum, et beatorum sedem permittatur. Hesperidum Hortos cum Elyfio confundere Strabo videtur, ubi Lib. III. in ultima Hesperia Elyfium Campum, terrae terminum, constituit; in quem Proteus apud Homerum Odysf. Δ. versf. 553. Menelaum a Diis mittendum fore dixit; ibidemque a posterioribus Poëtis vulgatam esse expeditionem Herculis in Geryonis boves, atque in Hesperidum aurea mala. Haud tamen tria tantum, ut Antiphanes Comicus ex Athenaeo Lib. III. credidit, ea fuisse, hinc patet; sed quinque, ut etiam habet nummus Getæ a Trifano adlatus Tom. II. pag. 285. sine ulla inscriptione, aut nota loci; et proinde ab Ill. Spanhemio ex Museo Christinae Augustæ suppletus Difert. IV. pag. 249. ΕΠΙΣΤΡΑ ΝΟΥΣ . ΑΝΕΘΕ . ΠΕΡΤΑΜΗΝΩΝ . Β . ΝΕΩΚΟΡΩΝ; quo in nummo serpens eadem figura; et positus, ac noster conspicitur. Ad hoc idem fortasse adludit Marmor, quod e Schedis Peniæ, Sacrae Rotæ Auditoris cum sua marginali nota hic exprimi curavi, ubi similiter Puerulo equestri ingressum sacrificio impetrat ad aram Mater, cum victima consistens, a Serpente obvius, et arborem suis spiris circumplexo. Idem crediderim de arbore, atque serpente, tumulo Vlpiaæ Marcellinae Veneris caelestis Antistitis insculpto, et nuper eleganti commentario Caroli Patini, Marmoris possessoris, inlustrato: quamvis ibi serpentem adblandiri creditum, et cupressum simulatam opiner; cui cogitationi Virum eruditissimum insistere video in Graecanico Monumento L. Murdii, huic nostro persimili; nisi quod canis, et pedisequus ibi abundat; si vero illi haec nostra explicatio placeret, ego mihi de ea maxime, meritoque placerem. Huc usque doctissimus Fabrettus. Eidem sententiae adrisisse gaudeo maximum Bonarrotium, qui in Notis ad Numismata maxima Musei Carpinei ad Tab. III. num. 1. ita scri-

scripsit : *Ed io ho osservato più volte fra la raccolta delle Inscrizioni del Sig. Canonico Fabretti Cap. III. num. 26. l'ombre de' Defonti a cavallo avanti all' albero dell' Esperidi: questa fu opinione ancora de' Popoli Settentrionali, e degli Sciti origine loro, come osserva il Sig. Bartolini Antiquitat. Danic. Lib. II. Cap. 8.*

II. Interim dum haec scribo gemina alia Monumenta hisce nostris fere simillima relata video in II. Tomo Supplementorum Thesauri Antiquitatum Graecarum, et Romanarum ad pag. 1041. quaeve nuper ex Smyrna in Italiam delata sunt: utrumque Graeca Inscriptioe pariter consignatum, prout est alterum a Fabretto publicatum; quapropter et illud quoque ex eodem promptuario adlatum, et fortasse, mi BVFFI, etiam hoc tuum, a navarcho aliquo fuisse non diffiteor. Non enim ille sum, qui Patriam hanc nostram hisce honoribus refertissimam, spoliis alienis exornare studeam; non modo cum aliorum iniuria, sed et cum detrimento litterarum, quae ex hisce inconsultis adoptionibus confunduntur, et perturbantur. Sed eo magis inducor ut credam, Marmor hoc mihi dono oblatum, manus Saracenorum effugisse; quia alioqui integerrimum, industriosè tamen in pueri vultu, et ore equi labefactatum est: quae Turcarum religio est, ubi in haec Monumenta inciderint. Vtrumque vero ex Monumentis Smyrnaeis inscriptione, ut diximus, decoratum cernitur; quam adferre non gravabor. In primo sic se habet:

ΛΟ ΜΟΥΡΔΙΟΣ
 ΗΡΑΚΛΑΣ ΗΤΩΝ Κ
 ΗΡΩΣ

L. MVRDIVS
 HERACLES. ANNORVM. XX.
 HEROS

Monumentum hoc nunc exstare in Museo Veronenſi, docet Illuſtriſſimus Marchio Maffei, huiuſce aetatis eximium decus, et ornamentum, qui adfert num. 8. Tabulae XLIX. Secundum vero, in quo duo adoleſcentes expreſſi ſunt, equos regentes, ita ſe habet :

ΠΑΝΦΙΛΟΣ . ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ .

ΧΑΚΡΕΤΕ

PANPHILVS *et* ALEXANDER

VALETE .

Hoc quidem triplici teſtimonio certiores facti ſumus Marmora haec ſepulcralia eſſe; neque aliud plane officium praefitiſſe cetera his ſimilia, quanquam inſcriptione deſtituta videantur. Docemur praeterea omnia haec Graecam religionem involvere; nec quidquam praeferre, niſi tranſitum animarum ad Elyſios, ſeu potius ad aſtra: quem, quia auxilio equi expreſſum obſervamus, non male TRANSVECTIONEM ANIMARVM adpellaverimus.

III. Id ipſum myſterium in hac adlata eximia Gemma exhiberi minime dubitaverim; quum forma Marmoris noſtro, et reliquis ſupra deſcriptis omnino reſpondeat: puer equo inſidens, eadem ara ſuccenſa, forte roguſ, ſeu pyra, arbor, et ſerpens arbori circumvolutus, qui in minutula hac ſcalptura oculos Pictoris auſugit. In noſtro vero Marmore adcedit inſuper caeleſtis globus, ſeu Lunae orbis, pedibus pueri ſubpoſitus; qui ob vitae innocentiam iam inter Divos relatus, et ΗΡΟC effectus; quod L. Murdio adtribuit praemiſſa Inſcriptio, pedibus calcare obſervatur: quae quidem ſymbola ſtudioſe ſingillatim excurrenda ſunt, et accurata diſquiſitione illuſtranda: quod ubi prae-

praestiterimus, Gemmam simul, et Marmor nostrum exhibebimus.

IV. Primum, quod adinet ad statum Animarum post mortem, varia, ac semper inconstans, atque ut plurimum fabulis involuta, pro diversis religionibus, fuit Veterum opinio; nam qui Aegyptias traditiones secuti sunt, Graeci praesertim, qui Homerum habuerunt antesignanum, feralem cymbam celebrarunt, quae animas per nigra quaedam flumina in Elysios deducerent. Hos autem infra terram, et praeter damnatorum fedes, conlocat Virgilius Aeneid. VI. immo, ut videtur, in ipso Terrae centro; novem enim circulis praecinctos esse Inferos notavit ibi Servius ad vers. 426. quem imitatus est divinus Poëta Alighierius: quorum alter alterum complecteretur, et inde per quasdam purgationes transitus fieret, de quorum intimis sic loquitur: *In octavo sunt Animae ita purgatae, ut redeant: in nono, ut iam non redeant, scilicet Campus Elysus*. Quam doctrinam ipse fusius explicarat ad vers. 408. *Erebus proprie est pars Inferorum, in qua hi, qui bene vixerunt, morantur; nam ad Elysium nonnisi purgati perveniunt; unde est -- pauci laeta arva tenemus -- hinc fit, ut quaeratur, an Animae de Elysio in corpora possint redire; et deprehensum est non redire; quia per purgationem carent cupiditate*. Ut vero illi, qui ista confixerunt, calumniam tenebrarum in intimo illo terrarum loco effugerent, nova luminaria, novosque planetas nobis ignotos imaginati sunt. Virgilius Aeneid. VI. vers. 641.

*Largior hic campos aether et lumine vestit
Purpureo; solemque suum, sua sidera norunt.*

Et Claudianus de rapt. Proserp. Lib. II. vers. 282.

— Sunt

————— *Sunt altera nobis*
Sidera, sunt orbis alii, lumenque videbis
Purius, Elyfosque magis mirabere campos.

Huius vero loci statum non aliter mente concipimus, quam quod terrae medium cavum esset, ac vacuum, in quo orbis alius circa centrum inclusus, in aëre suspensus esset, quem circum stellae, et Planetae circumvolverentur. Sed humaniorem alium locum excogitarunt illi, qui subterraneam hanc machinam respicientes, Insulas quasdam fortunatas praeter Herculeum fretum constituerunt, quo animae post mortem concederent. Nempe hi per fretum animas deducentes, ab Oceani fluctibus eas convenienter purgari reputabant; praecipue qui leviori culpa adstricti, e vita migrassent, nec ignea purgatione indigerent: cui sententiae adlusit idem Virgilius Aeneid. VI. vers. 741.

————— *Aliae panduntur inanes*
Suspensae ad ventos: aliis sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.

Huic sententiae adhaerere visi sunt praesertim Etrusci, qui Defunctorum icones marinis monstris insidentes, Sepulcris insculperunt: quam sententiam ex eodem Homero, cuius doctrinae studiosissimi fuerunt, hausisse visi sunt, qui de hisce fortunatis Insulis, haec prodidit Odyss. Δ. vers. 563.

Sed te in Eysum Campum, et fines terrae
Immortales mittent; ubi flavus Rhadamanthus est:
Vbi utriusque facillima vivendi ratio est hominibus:
Non nix, non hiems longa, neque unquam imber;
Sed semper Zephyri suaviter spirantes auras,
Oceanus emittit. —————

Putabant etenim terram Oceano definiri ; Oceanum vero ab hisce beatorum Insulis circumplecti : quod etiam adtigit Lucianus in *Historia vera* : et Servius ad VI. *Aeneid.* vers. 640. *Secundum Philosophos Elysiū est Insulae fortunatae .*

V. Alii rursus inter Terram , et Lunam beatorum animas conlocarunt ; quos inter Martianus Capella de Nupt. Philol. Lib. III. et Pfellus in *Doctrinae Chaldaeae Compendio* . Hanc quoque secutus videtur Lucanus Lib. IX. vers. 5.

*Quodque patet terras inter Lunaeque meatus ,
Semidei Manes habitant ; quos ignea virtus
Innocuos vitae patientes aetheris imi
Fecit , et aeternos animarū collegit in orbes .*

Sed Cicero, Poëtarum somniis excussis , omnium magis de proximo veritatem adtigit in Somnium Scipionis , quum aurea haec verba protulit : *Omnibus , qui patriam conseruauerint , adiuuerint , auxerint , certum esse in Caelo , ac definitum locum , ubi beati aeuo sempiterno fruuntur .* Hunc locum , qui curiosius scrutati sunt , aliquando supra polum Arcticum constituerunt , quo pertinent septem Triorum stellae , in Nummis , et Gemmis expressae , ut diximus ad Tabulam LIV. Manilius vero beatorum animas in via lactea conlocavit Lib. I. vers. 756.

*An fortes Animae , dignataque nomina Caelo
Corporibus resoluta suis , terraeque remissa
Huc migrant ex Orbe , summaque habitantia Caelum
Aethereos viuunt annos , Caeloque fruuntur .*

VI. Auctor vero huius Marmoris eam opinionem sequutus est , quae hasce animas in Lunae orbe conlocabat ; quapropter

propter orbem ipsum pedibus infantis subposuit; ut indicaret illius animam pro vitae merito hanc sedem obtinuisse. Haec vero opinio maximam apud Romanos auctoritatem obtinuit, qui ut feminas Augustas iam caelo receptas exprimerent, vel sub Dianae specie effinxerunt, vel inter silentis Lunae cornua figurarunt; ut constat ex Nummis Iuliae Domnae, Otaciliae, Etruscillae, Saloninae, et Magnae Urbicae alias indicatis, et ex Nummo Faustinae minoris, in quo ipsa sub Lunae specie efficta cernitur, cum epygraphie SIDERIBVS RECEPTA. Hanc mythologiam, pulcre inlustrat luculentus Plutarchi locus in Libello *de facie in orbe Lunae*, per haec verba: *Sunt in Luna etiam cavernae profundae. Cavernarum eius maximam, penetralia Hecates vocant, ubi animae eorum, quae iam natae egerunt, aut passae sunt, rationem reddunt, ac poenas dant, sumuntque. Duae aliae tongae dicuntur; quia per eas transmittuntur animae; aliae a Luna versus caelum, aliae versus terram. Adpellantur autem partes Lunae caelo obversae Elysus Campus: huc pertinentes Proserpinae, et Antichthonis, idest Terrae oppositae. Non semper autem in Luna morantur Genii, sed huc descendunt, ut oracula procurent, et supremis adsint Orgiis, atque sacrificiis. Puniunt flagitia, salutareque in bello, et mari adfulgent. Manifestius vero in Quaestionibus Romanis Cap. LXXVI. loquutus est, ubi Lunam sub animarum pedibus conlocavit, ut in hoc Marmore observatur. Cur qui nobilitate generis aliis praestare videbantur, Lunulas in calceis gestabant? An, ut Castor ait, signum hoc est habitationis supra Lunam, quae defertur, et quod post mortem rursus animae Lunam sub pedibus habebunt? Lunam itaque sub pedibus habet huius nostri Marmoris puer. Si vero non Lunam, sed ipsum Caeli orbem heic*

designatum velimus , in promptu sunt exempla recentissima veterum Monumentorum , in quibus totus Caeli ambitus mortuis subiicitur . Sic in nummo maioris Faustinae ipsa efficta est stellato orbi insidens , cum epigraphe AETERNITAS . In alio antiquo Marmore , quod adhuc prope Nolam ad servari , tradit doctissimus Praeful Franciscus Blanchinius in Descriptione Palatii Vrbinatis , Augustus conspicitur , cuius pedibus orbis subpositus est : et in celeberrimo Achate Tiberiano , qui Parisiis in S. Cappellae , ut aiunt , Sacratio ad servatur , Augustus spectabilis est Caelum conscendens , Pegaso innixus , qui prioribus unguis orbem premit , quem manibus sustinet Genius Romani Imperii , qui Phrygio habitu indutus est ; quo Augusto adfertatur , qui se ab Aenea progenitum fuisse iactabat : quod quidem pretiosissimum Monumentum magnam adfinitatem habet cum anaglypho consecrationis Antonini in eius Columnae basi insculptae , in qua idem Genius , sed nudus , similem orbem cum serpente circumvoluto in altum adtollit : ut non parum mirer eruditos Gallos , qui in ea Gemma illustranda operam impenderunt , utrumque Monumentum non comparasse ; non enim sub Phrygio habitu vel Romanam significari dixissent , vel ipsum Aeneam .

VI. In praesenti hac nostra Gemma , et in hoc meo domestico Marmore , immo , et in ceteris adsimilibus , animae puerorum equo invehuntur . Id adtributum veteri Mythologiae aptissime conveniebat , qui animas modo a terrestribus , aliquando a marinis , denique ab aëreis animalibus efferri credebant : per quae animalia triplex illa purgatio designatur , per quam in caelum perveniri posse reputabant . Pulcre ad propositum nostrum Servius in VI. Aeneid. vers. 741. *Triplex est omnis purgatio : aut enim in terra*

terra purgantur, quae nimis oppressae sordibus fuerint: idest, transeunt in corpora terrena; aut in aqua, idest, transeunt in corpora marina, si paullo melius vixerit; aut certe in aëre, transeundo scilicet in aëria corpora, si satis bene vixerint. Et quanquam laudatus Auctor transmigrationem animarum indicare voluisse videatur; ad tamen Monumenta antiqua evincunt, Antiquos fere omnes quanquam Pythagoreorum doctrinam non admiserint, eundem tamen ordinem servasse, qui animabus haec animalia submiserunt, nisi ad *transmigrationem* indicandam, et ad *transvectionem* saltem illarum exprimendam. Nam quod adinet ad marina corpora, illa obvia sunt in Tuscorum, et Latinorum Urnis, Pistris, Hippocampus, Cinocampus, Taurocampus, et alia huiuscemodi sexcenta, quae pro privata religione ad libitum deformabant; de quibus multa nobis dicta sunt in tertio Libro domesticarum Lucernarum. Delphines vero ubique obvii sunt in sepulcralibus Monumentis; ut quodammodo commune quoddam mortuorum ornamentum videatur. Terrenorum etiam animalium hac vice fungentium exempla lubenter enumeraremus, si epistolaris Dissertationis spatium, et propositum argumentum pateretur.

VII. Vbi vero privata ambitio in mortuorum consecratione laxata est, caelestia animalia, vel quae Diis sacra haberentur, adeo promiscue usurpata sunt, ut nihil magis obvium sit, quam aquilas, et pavones in Sepulcris intueri, quorum officio animae in caelum efferri putabantur. Potentiores etiam bigas addiderunt. In Gemmae Musei Regis Francorum vulgata Tom. I. Historiae illius Academiae, Germanicus, et Agrippina cernuntur, qui vehiculo efferuntur in caelum a draconibus Cereris. Paulina in nummo biga vehitur cum epygraphe CONSECRATIO

Augustus, et Livia in altera ingenti Gemma Musei Caesarei, vulgata eodem Tom. II. Supplementorum, simili bigae infidet a Centauris vectae, et a Victoria, seu Hebe coronantur. Constantinus quoque in eius nummo Caelum, adit in Quadriga, quem superna manus videtur excipere. Sed haec exempla non adeo obvia sunt: communiora sunt Animarum hisce animalibus infidentium. Sic minor Faustina in nummo maximi moduli cervae inequitat. In altero simili Antinous sub Apollinis specie grypho; Augustus vero in Achate Tiberiano equo alato, quem male Pegasum, ut videbimus, inlustratores nuncuparunt; equo vero inplumi, ut in praesentibus nostris Monumentis Faustina maior in nummo, quem doctissime, ut semper, inlustrat Antesignanus noster Bonarrotius in Notis ad Museum Carpineum, qui opinionem hanc nostram de Animarum transvectione multis Veterum testimoniis inlustrat; praesertim vero auctoritate Lactantii in VI. Thebaid. adferentis singulis stellis proprios equos fuisse adtributos; multiplices vero maioribus luminaribus.

VIII. At praecipuum officium Animas transvehendi Hespero, atque Lucifero tribuebatur; adeo ut Albinovanus Drusum dixerit in ipsum Hesperum post mortem transiisse. Sic ille:

*Quaestivere Chori Iuvenem: sic Hesperon illum,
Quem nexum medio solvit in igne Venus;
Quem nunc in fuscis placida sub nocte nitentem
Luciferum contra currere cernit equis.*

Vbi sententiam illam admisisse videtur, quae Hesperum, a Venere distinguebat; licet enim Hesperus, ac Lucifer unum et idem sint cum Veneris stella, cuius matutinum,

sive

five ~~Vesper~~ertinum lumen per haec nomina distinxerunt, et, ut ait Statius :

————— *Et alterno deprehenditur unus in ortu ;*

ad tamen distinctas omnino stellas, sed Veneri familiares, aliquando hoc nomine designabant ; unde Virgilius Aeneid. VIII. vers. 589.

*Qualis, ubi Oceani perfusus Lucifer unda,
Quem Venus ante alios astrorum diligit ignes,
Extulit hos sacrum caelo, tenebrasque resolvit.*

Vbi Servius : *habet etiam duas alias stellas Venus ; unam in signo Tauri, et unam in Septentrione : quae fortasse una, ex causis fuit cur animae supra Septentrionem locarentur, Hespero vero, et Lucifero proprii equi assignabantur. Constat hoc praecipue ex pictura Vasis Etrusci, quam Libro I. eius Collectionis, quam doctissimus Gorius noster meditatur, additis notis illustrabimus. Adcedunt Poëtarum testimonia. Ovidius Metamorph. XV. vers. 189.*

————— *Cumque albo Lucifer exit
Clarus equo.* —————

Et Tristium Lib. III. Eleg. V. vers. 55.

————— *Solis praenunciis ortum
Adferat admissis Lucifer albus equo.*

Et Claudianus de Rapt. Proserpinae Lib. II. vers. 121.

*Dum meus humectat flaventia Lucifer arva,
Roranti proVectus equo.* —————

Et Statius Thebaid. VI.

Lucifer , et totidem Lunae praevenerat ignes
Mutato nocturnus equo . —————

Et de Hespero idem Ovidius Fast. Lib. II. vers. 314.

Hesperus , et fusce roscidus ibat equo .

Etiam Cassiodorus Epist. LI. Lib. III. Hespero , et Lucifero in Circo equos sacratos fuisse testatur , qui propterea rorarii nuncupabantur . Quae quum ita sint , probabilius mihi videtur equum alatum , quem Augusto adtribuit Achates Tiberianus , alterum ex hisce equis denotare Veneri addictum potius , quam Pegasum , cui nullum in funeribus , atque consecrationibus ipsis , quod adhuc viderim , officium fuit . Nec minor dignitas Lunae adtributa est ; cui non modo bigam adsignavit Antiquitas , ut diximus in Notis ad Lucernas Tom. I. verum etiam ΦΙΛΙΠΠΗ , hoc est equos amans , vocatur ab Orpheo in eius Hymno , et *equos iungens* in altero apud Homerum : propterea eos , qui eius Numen sibi devicissent , et impensius coluissent , ab animalibus illi subiectis in eius orbem deductos iri reputabant : ex quo factum est , ut populi , praecipue qui Lunam impensius colerent , inter quos Smyrnaei horum Marmorum auctores , ceterique Asiae finitimi , mortuis suis equos adiungerent , quo ipsos in eius orbem transvectos esse profiterentur .

VIII. Haec tamen opinio de transitu animarum non adeo Smyrnaensium propria fuit , ut Asiae terminos non excederet , et Etruriam nostram non pervaderet ; nam in Thesauro Vasculario ab eodem meritissimo Gorio studiosissime collecto , cui lucubratiunculas aliquas confestim prodituras praeparamus , saepissime occurrunt inter fune-

bria

bria paucis huiusmodi animarum imagines equis insidentium, quae quum minus caute ab aliquibus non adeo in hac provincia versatis speculatae sint, mirum in modum ingenium vexarunt, ut equestres haec singulares figuras cum mortuis conciliarent. Hoc vero adeo solemne fuit Etruscis, ut quum Lares domesticos pingere vellent (sub quibus, ut nostri ex meo Acherontico, nil nisi mortuorum suorum animas intelligebant) equum illi adstantem intra Lararii septum coniungebant: neque enim puto equum illum prioris vitae institutum significare; non enim Sacello iumentum inclusissent. Sunt haec indicia Religionis ab antiquo principio deducenda; pertinent enim, si quid recte sentio, ad Animarum transvectionem, cuius ope in Lares familiares conversae sunt, quae tanquam sacrum animal, et Caelo familiare, in partem domestici cultus, in penetrale sacrum inferebant: quanquam non ignorem altera quoque ratione equum Laribus adiunxisse; quum enim illos domorum, et urbium custodes non modo adversus fures, sed et publicos hostes, et thorace, et insigni galea armare consueverent, ut late a nobis probatum est in *Dissertatione de Diis Tuderis*, apud quos obvia sunt Larium armata simulacra, inter cetera belli ornamenta etiam equum illi tribuerunt. Nec ab ista opinione Pisaurenses nostri abhorruerunt; dum enim haec scribo, apud Circianense meum ingens Sepulcretum in fundo Nobilium Petrutiorum inventum est, regularum inscriptarum opulentissimum, inter quas tres aereos simpulos, quanquam aetate labefactos, erutos vidi, et in Museum meum intuli; et quod supra est, Larem etiam nudum, et ingentibus foliis, ut frequenter accidit, coronatum, qui dextera elata, non pateram, ut saepe saepius, sed lanceam intorquet.

IX. Sed iam ad Gemmam, et Marmor nostrum redeamus. Ara in utroque succensa ad ea pertinet sacrificia, atque piamenta, quibus animae placari solebant, et consecrari, de quibus ita loquitur Arnobius adversus Gentes Lib. II. *Neque illud obrepat, quod Etruria libris in Acheronticis pollicetur, certorum animalium sanguine certis Numinibus dato, divinas animas feri, et a legibus mortalitatis educi.* Hinc Maro Aeneam describit sic Polydoro iusta exsolventem, Aeneid. Lib. III. vers. 63.

————— *Stant manibus arae*
Caeruleis mastae vittis, atraque cupresso.

Et Aeneid. Lib. V. vers. 47. ubi eum patri parentantem inducit, *maestas sacrae* ei *aras* dicit. Animadvertimus praeterea in hisce Marmoribus, et in hac Gemma, quam explicamus, aras omnino uniformes esse, ac desuper flammis conluentibus aequae ornatas, quae eandem ipsam referunt speciem, quam in Nummis Valeriani Caesaris, Claudii, Quintilli, Cari, ceterorumque Imperatorum refert rogos ille consecrationi destinatus: quapropter suspicari pronum est, sub hac imagine ipsam funebrem pyram designari, quam in nostro Marmore altero pede equus tangit, inde veluti cursum suum in astra auspicatus; quemadmodum de pavonibus, atque aquilis in Principum funere observatum est.

X. Serpens arbori circumfusus, quem ad Hesperidum Draconem trahit Fabrettus, facile Genium defuncti exprimit instar Serpentis Virgiliani, qui ex Anchisae tumulo, dum illi parentaretur, delapsus est. Aeneid. V. vers. 84.

Dixerat haec: adytis, cum lubricus anguis ab imis
Septem ingens gyros, septena volumina traxit:

quem

quem esse aut Genium loci, aut parentis famulum Aeneas ominatus est. Hunc locum exornans Servius, ait: *Diis singulis inferiores quasdam potestates esse adtributas, quae illarum obsequiis praesto essent, et nutibus obtemperarent.* Hisce vero mortuorum Geniis non fecus ac Manibus magnum semper honorem adhibuerunt Ethnici, qui eorum imaginibus, immo et invocatione, Sepulcra exornarunt, ut fufius in Acherontico nostro edito in Volumine III. Musei Etrusci, demonstravimus. Serpentes vero erant eorundem Geniorum imagines: quapropter in Marmore consecrationis Antonini Pii, et Faustinae Genius orbis, a quo in Caelum efferuntur, ipsum orbem manu adtollit, cui serpens circumplexus est: sub quo nil nisi ipsius Principis Genium intelligimus, ipsum quoque insertum Caelo, et venerationi hominum publica auctoritate propositum. Alterum quoque subest mysterium in hoc serpente arboribus circumvoluto; significat enim ipsum Caeli cardinem, seu polum, in quo, ut iam diximus ad Tabulam LIV. hominum virtute praestantium animas conlocabant, ubi occasus nesciae, tanquam a vertice naturae, res humanas prospicerent; quo statu Aeternitatem indicabant, ut in nummo Faustinae VII. Trionibus exornato. Hinc Aratus in Phaenomenis:

*Cetera, quae toto fulgent vaga sidera mundo,
Indefessa trahit proprio cum pondere Caelum.
Axis stat, motus semper vestigia servat.*

Et Manilius Lib. V. vers. 693.

*At revoluta polo cum primis vultibus Arctos
Ad sua perpetuos revocat vestigia passus
Nunquam vincta vadis, sed semper flexilis orbe.*

Hunc vero Caeli locum occupat Hesperidum Draco, quem ab Hercule necatum *Minerva in Caelum transfudit*. Virgilius Georgic. I. vers. 244.

*Maximus hic flexu sinuoso elabitur anguis
Circum, perque duas in morem fluminis Arctos,
Arctos Oceani metuentis equore tingui.*

Hinc propterea introductum est, ut ipse anguis arbori Hesperidum circumvolutus, Aeternitatis symbolum esset, seu locum denotaret, in quo animae aevo aeterno fruebantur.

XI. Sed antequam serpentem missum faciamus, observatione dignum est in hoc Marmore nostro ipsum triplici gyro arborem circumplecti, quod mysterio non vacat: nam aetatis anni per totidem volumina designantur: quae observatio mire recidit cum altero Marmore Fabretti Glyconi posito; qui quum duos fere annos aetatis aequasset, eius serpens duplicem spiram exprimit. Hanc observationem excitavit nobis Servius in citatum Virgilii locum per haec verba: *Ita ergo nunc etiam Aeneae omen sui erroris ostenditur septem gyris; nam septimus ei annus est finis erroris, et est optimum figmentum. Annus enim secundum Aegyptios indicabatur ante inventas literas picto Dracone caudam suam mordente.*

XII. Restat arboris, cui serpens circumvolvitur, explicatio. Cuius generis ea sit, ex ceteris Marmoribus minus diligenter expressis, mihi certe non liquet. In nostro Marmore citra ullam haesitationem pinus est Matri Deum sacra, cui puerum illum initiatum fuisse non vane suspicor: immo, et eidem religioni addictum fuisse alterum, qui in Gemma expressus est, indubitanter puto; nam ita pileo Phrygio caput ornat, ut Atydem imitetur: quo blandimento

mento dolorem suum parentes ob filios admissos adlevabant , Deorum ornamenta illis tribuentes : quod iamdiu ab Eruditis , praesertim vero a Celeberrimo Bonarrotio , observatum fuit , et nos in veterum Monumentis saepenumero observavimus . Pinum vero Matri Deum sacram esse , constat . Arnobius Lib. v. *Quid sibi vult illa pinus , quam semper statis diebus in Deam Matris inducitis Sanctuarium ?* Et Servius ad Aeneid. IX. vers. 116. *Cuius (Atydis) ut perpetua maneret memoria , Mater magna instituit , ut quotannis in sacris suis plangeretur , pinumque arborem , sub qua nauerat , tutelae suae adscripsit .*

XII. Haec sunt , BVFFI ORNATISSIME , quae tumultuario studio (nam compluribus mei muneris curis , ut scis , quotidie distineor) circa haec cimelia notare datum est . Sed fortasse postulas ne silentio praetermittam Monumenta alia , quae dudum mihi dono obtuleras , nempe quina illa fistilia doliorum opercula , quae prominentibus litteris Etruscis exornantur ; nam sparsim ex agro nostro collecta , indubitata fidem faciunt Etruscam linguam , et characteres olim apud nos viguisse : quae quidem Monumenta , quanquam ab argumento huius Epistolae aliena sint , illi tamen adprime conveniunt , cui Epistola nuncupatur . Ne igitur munificentia tua debito honore fraudeatur , liceat heic in Patriae nostrae decus illa proferre , et breviter inlustrare . Te igitur non latet quanto studio Veteres patria vina curaverint , ut ex maiore diuturnitate illorum aestimationem auferent ; quidquid enim luxuria recentiorum peregrinis vinis adtribuit , Veteres ex sola antiquitate exquisierunt . Suo propterea quum dolia picarent , et humo obtegerent , curarunt Veteres , ut nempe annus notaretur , quo vina expressa forent ; demum et tabernam
feu

feu cellarium , feu potius fundum , unde illa prodissent . Has vero notas constanti atramento in ipsis doliis inscribebant , ut adhuc aetate nostra multa huiusmodi , superstite adhuc scriptura , reperta sint , et in dies reperiantur : quorum exemplaria aliqua nobis protulit , et inlustravit idem laudatissimus Gorius in Observationibus ad Columbarium Libertorum , et Servorum Liviae Augustae , inter quae illud praecipuum e lectissimo Museo V. C. Francisci Commendatoris Victorii prolatum , quo notabatur vinum e C. Purelli Cella eductum . Consulatum vero doliis inscriptum , aliquando fuisse colligitur , praecipue ex Horatio Carm. Lib. III. Ode XXI. ubi amphoram adloquitur , et Ode XIV.

*I , pete unguentum , puer , et coronas ,
Et cadum Marfi memorem duelli :*

et rursus in eodem Libro Ode VIII.

*Hic dies , anno redeunte , festus
Corticem adstrictum pice dimovebit
Amphorae fumum bibere institutae ,
Consule Tullo .*

Quia vero hi tituli vel prae vetustate , vel terrae humore aliquando decidebant , ut est illud Iuvenalis Sat. V. vers. 34.


— *Cuius patriam , titulumque senectus
Delevit , multa veteris fuligine testae :*

hinc introductum est , ut in doliorum adhuc crudorum collo Consulatus imprimeretur : quorum specimen ex agro nostro effossum olim heic Pisauri in Bavariorum Museo servabatur . Sed incommodum nimis erat dolia sic efformare , quae praeter illum annum , nullius usus essent .

Me-


Mélius , ac sagacius instituere antiquiores , qui vel anni , vel fundi indicium in operculis obsignabant : quem morem explicant hi ipsi operculi , quos mihi dono dare voluisti , in quibus prominentibus characteribus notae hae expressae observantur . Quid tamen sibi velint , quum ignotarum nobis vocum initiales sint , dicere non ausif . Vnum , quod coniectura adsequor , est nota L , seu Λ , qua Etrusci ad annum signandum utebantur ; ut constat ex eorum tumulis sepulcralibus , in quibus annorum numerus adiectus est : quapropter non inaniter fortasse suspicatus sum Etruscos Graecorum Colonos eandem Graecorum antiquissimorum dictionem ΑΤΚΑΒΑΝΤΑ , pro anno adhibuisse , ut pluribus declaravi in meis Roncaliensibus . Ceterae notae vel ad numerum annorum pertinent , quibus vinum illud fenuisset , vel aliud quidpiam nobis ignotum important : nec inane fuit antiquis Pifaurensibus id studium in vino recondendo adhibere : ut enim vidisti in Notis ad Marmora Pifaurensia , quae Cl. Oliverius Patriae nostrae ornamentum publicavit num. III. maximum vini mercimonium a Pifaurensibus exercebatur , et hinc mari evehebatur . Si tamen haec Antiquitatis vestigia , quae nunc primum in lucem prodeunt , copiosius cumulentur , et conferantur , maiores utique suppetias ferent , quibus eorum intelligentiam adsequamur . Sed diutius te moror , VIR DOCTISSIME , atque omni scientiarum genere ornatissime ; nec mihi maius otii datum est ad meliora proferenda . Vtinam rediret felix illud aevum , et beata tranquillitas , quibus aliquando in Fori Sempronii Praefectura una simul in Veterum Monumentis evolvendis , vel in Naturae arcanis perscrutandis , noctes infuebamus . Haec iam memorare magis , quam sperare datum est . Quod iam superest ,

occupat labor, et dolor. Quod unum per aetatem licet, haec Patriae decora ab interitu vindicemus, ut quae Minerva non fatis propitia, ac favente explicavimus, felicius ab aliis inlustrentur. Vale Republicae nostrae bono.



J.V.Sc.
OPERCULA FICT. BOLLIORVM ERTVSC.
IN MVSEO PASSERIC

DEARA
AVGVSTEA
DISSERTATIO IV.
IOANNIS BAPT. PASSERI
I. C. ET VIC. PISAVRENSIS



*Anaglyphum e Pario marm. long. palm. VIII. et sem. alt. palm. IV. et sem. quod in Vestibulo
Basilicae S Vitalis Ravennae adseruatur.*



J. V. Sc.

Incau. Sardae Musei Cappello Senat. Venet.

DE ARA AVGVSTEA

DISSERTATIO IV.

AD VIRVM CLARISSIMVM

FRANCISCVM COMITEM GINANNIVM

PATRICIVM RAVENNATEM



VVM superioribus annis , domi tuae perquam humaniter exceptus , Ravennae essem , et cum Parentum ornatissimorum , tum sapientissimi Patruī tui IOSEPHI , qui tibi ad Philosophiam amplificandam facem prae-tulit , ac praeivit , periucundo contubernio fruerer ; inter ceteras venerandae Antiquitatis reliquias , quas avidissime perlustrabam , admirationem mihi excitavit Marmor illud ingens , anaglypho opere exsculptum , oppido elegantissimum , quod in vestibulo Basilicae Divi Vitalis adservatur , et in quo APOTHEOSIS AVGVSTEA faberrime expressa est ;

quod quum nondum a nemine vulgatum rescivissem , animo statui , si quando daretur occasio , illud aeri incisum publici iuris facere . Id vero nunquam opportunius addidere potuit , quam in praesentia , quum iam in publicam lucem festinante Goriano Syntagmate GEMMARVM ASTRIFERARVM , Marmor huiusmodi , et ipsum astriferum , locum sibi in ea Classe vindicare probe videbam . Quinimmo ipsum non Marmor dixerim , sed potius omnium Gemmarum amplissimam ; quippe quia tam exquisito opere caelatum est , ut non a Statuario Sculptore , sed a Scalptore Gemmario perfectum esse videatur . Itaque , Te curante , delineatum , ne diutius litterarii orbis oculos moreretur , tuis auspiciis , favente meis votis V. C. atque amicissimo Gorio , qui aere suis sumptibus exprimendum curavit , nunc primum in lucem profertur .

II. Monumentum , de quo nobis fermo est , constat ex Pario marmore . Eius altitudo palmos quatuor cum semisse aequat , longitudine duplo fere maiore . Opus vero ex area adeo prominet , ut vix anaglyphum adpellem ; nam signa , maiore sui parte e marmore educta , vix tertia parte occultantur . Quae profunditas marmori sit , quaeve postica facies inclusa in pariete , non adparet . Amplioris sane molis olim fuisse , quam quod hodie cernitur , abunde ostendit extremarum partium corruptio , et ipsa quoque in medio iactura , quae ex duobus fragmentis una commissis hodie coalescit . In quem usum id opus olim factum sit , liquido non constat . Sunt , qui male suspicentur partem fuisse zophori , quo frons alicuius Templi ornaretur . Male , inquam ; nam inferior taeniola , cui simulacra instant , longe recedit a legibus , quibus aevo Augusto parebat Architectura ; nam tenuissima est , quum quartam zophori

par-

partem aequare debuisset. Evincit praeterea id opus minime alto in loco fuisse reponendum ipsum absolutissimum artificium, quo minutissimae quaeque partes laboriosissime, et molliter perfectae sunt: quod nunquam docti Artifices praestitere in sculpturis, quae longe ab oculis semoveri debuissent. Praeterea, nisi quod id Marmor aliqua ex parte corruptum est, quod vel iniuriae, vel ruinae referendum venit; quod tamen superest, spirat adhuc primaevum splendorem, ut illud ab aëris intemperie semper defensum fuisse reputemus. Quae quum sedulo considerarem, illiusque significationem expenderem, suspicio inrepsit, ad Templum aliquod Romae, et Augusto sacrum pertinuisse, et crepidinis loco fuisse, cui ara insisteret. Constat enim antiquas aras tanta amplitudine non fuisse; quum praesertim earum loco foci, et tripodes adhiberentur. Aris vero crepidines, et gradus quosdam subiiciebant, ut illae quum magis excelsae essent, augustiores viderentur. Talem in Olympici Iovis Templo fuisse tradit Pausanias in Eliacorum priore: *Arae Olympicae ima crepido, quam πρόθυσιον appellant (quasi primam sacrorum stationem dicas) ambitum peragunt pedum centum et viginti quinque; graduum singulorum supra crepidinem ambitus, pedes explet binos ac tricenos; universae arae altitudo pedes conficit duos prope et viginti: ducuntur hostiae ad imae crepidinis stationem, ibi eas patrio more mastant, femora in summa ara adolent.* Et revera, quum superioribus annis Romae in Palatio Caesarum Lararium, Augusteum defossum esset, in eius medio ingens basis adparuit elegantissime exsculpta, ad cuius summitatem per geminas scalas patebat adcessus, ut refert eruditissimus Praeful Franciscus Blanchinius. Fuere tunc qui crederent; suggestum illud marmoreum arae vicem obiisse; neutiquam

quam animadvertentes , antiquos nunquam aras pedibus scandere confueviffe . Nemaufi quoque in Templo adhuc exftante , ut ex Palladio conftat , celsae crepidines superfunt , ad quas pariter per fcaldas itur , quibus foci , et tripodes ad facrificandum imponebantur . De hac difpofitione minime mirabimur , fi ea adtendamus , quae de ararum conftitutione ftatuit Vitruvius Lib. IV. Cap. 8. *Vt Iovi, omnibusque Caeleftibus, quam celfiffimae conftituantur* . Hoc vero non de aris intelligendum venit , quae ut ufui effent , vix ternos pedes excedere poterant ; fed de hypobafi , feu fuggeftu , in quo pro Numinis dignitate arae mobiles , plicatiles tripodes , quandoque et compactiles , feu textiles conftituebantur . Quinimmo , ut verum fatear , aras ipfas , quae marmoreae adhuc exftant , quum nulla combustionis indicia fervent , non aras , fed illarum fulcra fuiſſe exiſtimo ; ſuper quae ahenei crateres , feu fictiles cum prunis ardentibus inferebantur , et commode efferebantur , ut ftatuto in loco favilla iam facris functa religioſe deponeretur .

III. Vbi vero huius noſtri anaglyphi excellens artificium admiratus ſum , commendare non deſtiti veterum Ravennatum munificentiam , qui quum memoriae Auguſti Templum excitarent , nullo ſumptui parcentes , excellentiſſimum omnium Sculptorem ſibi compararunt ; nam fuiſſe apud ipſos Auguſti delubrum , manifeſte evincunt exſtantia adhuc inſcripta Marmora , in quibus plurima Auguſtialium mentio eſt . Sed quae civitates , quae oppida hac ſuperſtitione caruerunt ? Adeo enim univerſalis fuit , ut communi quadam conſuetudine Auguſtialium Collegio ubique locorum omnium ſacrorum cognitio , indictio certaminum , atque ludorum delata fit , in tantum ut illorum iudicio multi Martyrum damnati ſint . Sed minime obeſſe

putarim gloriae veterum Ravennatum, si Marmor id aliunde inventum suspicemur; quum ipsi sub Gothorum imperio non Italiae modo, sed etiam Graeciae pulchriora, ornamenta in patriam suam invexerint: quod multiplici auctoritate Cassiodori comprobatur; nam ex eius Epistola VIII. Lib. x. constat, Iustinianum Imperatorem interpellatum fuisse, ut marmora quaedam in Graecia comparata fineret Ravennam deferri. Fuere vero, et in his etiam regionibus, templa Augusto constituta, ut liquet ex Pausania in Laconicis; immo in ipsa Athenarum arce illud constitit, cuius adhuc superest sequens inscriptio:

Ο ΔΗΜΟΣ ΘΕΑΙ ΡΟΜΗΙ ΚΑΙ
ΣΕΒΑΣΤΩΙ ΚΑΙΣΑΡΙ

Maior tamen mihi inrepsit suspicio, Marmor id ex ipso Templo, quod Romae supra Forum Augusto sacratum, erat, detractum fuisse; nam ea aetate, exoletis iam superstitionibus Idolorum, Tempora omnia in solitudinem versa erant, ut colligitur ex Zosimo Histor. v. Cap. 38. *Quo tempore Theodosius maior Romam venit, et contemptum sacri cultus in animis omnium excitavit, publicum sumtum ad sacrificia se suppeditaturum inficiatus, expellebantur utriusque sexus Sacerdotes, et fana destituta sacrificiis omnibus iacebant.* Hanc etiam desolationem multis deplorat Symmachus in Relatione ad Valentinianum, Theodosium, et Arcadium AVGGG. quapropter mirandum minime est, si interiora Templorum ornamenta, quae nullo ufui erant, et sine alicuius iniuria detrahi poterant, a religione ad civilem cultum translata, Theodorico iubente, Ravennam migraverint, ut regni sedem exornarent; quum praesertim apud eundem Cassiodorum legamus Lib. 1. Epist. 28.

et

et Lib. II. Epist. 7. Variar. mandatum fuisse, ut marmora in multis Italiae locis constituta, Ravennam deferrentur; immo ex ipsa urbe Roma, ut Lib. III. Epist. 10. quo in loco iubetur, ut marmora ex domo Pinciana detracta, ad ipsum Regni caput veherentur. Hanc vero direptionem facilius passae sunt Vrbes nostrae, quae Ravennae propinquiores, et mari expositae, huic calamitati facilius patebant; ut praesertim nos Pifaureses doleamus vix antiqua pavimenta nobis fuisse reservata, in quibus detergendis ingentia columnarum vestigia deprehendimus: quae tamen quum apud nos minime sint, nec in alium usum cesserint; non alia via excessisse credo, quam quod tumultuarie depositae, et frequenter corruptae, praetermissis fragmentis, quantum posteri doleremus, quae speciosiora essent, ad vos delatae sunt. Haec vero querela minime Tibi gravis videatur, NOBILISSIME GINANNI, quum ad Patriae tuae gloriam adcedat, omnia Orbis aedificia, et praesertim Romae habuisse vestigialia; blandiente fortuna ingenio Ravennatum, ut ibi maxime forent, ubi maiori cum dignitate subsisterent.

IV. His praenotatis, adcedo ad ipsam huiusce ARAE AVGVSTEAЕ Apotheosin referentis explanationem. Sedet prima in huiusce Marmoris latere Dea Roma, talari tunica, et peplo ornata; quamquam omnium iconum, quae supersunt, maius senserit detrimentum. Manu sinistra elata hastam puram regebat; cuius aliqua vix conspicua vestigia adparent. Nec manus illa, qua velum adtollit, ad ipsam pertinet; sed ad sequentem figuram, quae et ipsa exscidit. Interiit praeterea manus dextera, cuius circa pectus nulla subsunt adminicula, ut suspicemur demissam habuisse, quo clypeum sustineret. Eius officium in hoc

Mar-

Marmore duplex est. Primum, quo Dea habebatur, communes in hoc sacro Marmore cum Diis Augustis honores excipit; nam, ut infra demonstrabimus, communi titulo, aequè illi, atque Augusto Tempia ubique fuere constituta. Alterum vero, quo Urbem notat, sive Populum Romanum, circa auctoritatem versatur, demonstrans eius decreto defunctos Principes divinis honoribus fuisse decoratos; quamquam enim ita usu invalescente inoleverit, ut mortui omnes privata religione consecrarentur, et communi Deorum Manium adpellatione innotescerent, ut in Acherontico meo edito in Volumine III. Musei Etrusci demonstratum est; constat tamen solemnem consecrationem non nisi ex S. C. factam esse, ut post ceteros antiquiores notavit Eusebius Histor. Eccles. Lib. II. *Quum lex vetus obtineret neminem Romae consecrari, nisi calculo, et decreto Senatus*: quod etiam indicare voluit Prudentius contra Symmachum, ubi Deam Romam consecratam deridet:

Vera ratus quaecumque, Senatu auctore, probantur.

Hinc in basi Columnae Antoninae, Principibus in caelum advolantibus, Roma subest, illosque elata manu Deos esse iubet, divinosque honores adtribuit, et praesertim Circenses. In Lucerna quoque Musei nostri Tom. III. num. 57. Roma simili nutu divinitatem alicui impertitur, geminis interim Victoriis clypeum cum defuncti imagine adtollentibus.

V. Romae armatus adstat Imperator adhuc vivens, qui ab illa impetrat et Caesari, et Augusto, et Liviae sibi proximis, divinitatem. Adhuc vivens, inquam; quum enim praedecessores sui nudi exhibeantur, unica tantum palla, Deorum more, involuti; ipse e contra Imperatorio ornatu, quo viventes utebantur, et praesertim lorica, munus est. Sinistra manu parazonii capulum stringit; quod

etiam frequenter observatur in Imperatorum simulacris : manum vero dexteram adtollit , qua aliquid imperare videtur ; et , ut coniiicio , intercedit pro utriusque divinitate , quam illi profusa adulatione a Senatu Romano impertitam tradit Tacitus Annalium Lib. I. et Suetonius in Octavio Cap. 100. quamquam Plinius in Paneg. Cap. 11. Augustum ab ipso Tiberio consecratum referat : *Dicavit caelo Tiberius Augustum , sed ut maiestatis crimen induceret .* Hoc etiam videtur firmare Paterculus Lib. 11. Cap. 121. *Post redditum caelo patrem , et corpus eius humanis honoribus , nomen divinis honoratum , primum principalium eius operum fuit ordinatio Comitiorum :* hoc tamen intelligendum venit , quod ipsis intercedentibus , a Senatu , cuius erat divinitatem adferere , inter caelites relati sint . Profecto eius lorica ornatissima est , eiusque fimbriae leoninos rictos imitantur . Erant haec in usu armorum parerga , adeoque Statius Martis armaturam describens , qua Eteoclem , et Polynicen in certamen incitavit , illam monstris ornatam nobis obii-
 ciat . Vidi in Foro Sempronii , dum eius Urbis praefecturam gererem , truncum Imperatoris simulacrum , cuius lorica circa oram terno monstrorum omnis generis ordine ornabatur . Alia quoque similia vidi Urbini semifracta , et iacentia in Hortis Principum Rovereorum ; quae pariter , ut fama ferebat , in eodem Foro Sempronii inventa fuerant . At difficultas in eo manet , ut Imperatorem heic repraesentatum nomine suo nuncupemus . Tota controversia inter Tiberium , Caligulam , et Claudium versatur ; nam ex iis , quae praemisimus , atque dicturi sumus , prior illorum Augustum consecravit , eique Templum magnifico molimine faciendum curavit . Quum vero non perfecit , ut ex Suetonio adparet ; credibile quoque non est hanc Aram perfecisse , quae omnium ultima , Templis iam perfe-

ctis,

ctis, statuebatur. Praeterea eius aetate Livia consecrata nondum erat, ut in partem divini cultus adcederet; illam enim longe post consecravit Claudius, quod clare testatur Suetonius in eius vita Cap. 11. *Conversus hinc ad officia pietatis, iurifurandum neque sanctius sibi, neque crebrius instituit, quam per Augustum. Aviae Liviae divinos honores, et Circensi pompa currum elephantorum Augusteo similem decernenda curavit.* Quae ratio evincit, hoc ipsum Marmor, in quo Livia Divis adensetur, neque sub Caio fieri potuisse, quamquam ille Augusti templum dedicavit. Aetas igitur huius sculpturae ad imperium Claudii, sub quo Diva esse coepit, referenda est. Nam satis credibile est, ipsum Claudium aviae iam consecratae non modo simulacra in Templo Iuliae Gentis dedicasse; verum etiam cetera Templi parerga perfecisse, vel addidisse, in quibus eiusdem novi Numinis effigies toti divinae familiae adderetur. Adcedit indicium lineamentorum, quae Claudium magis, quam ceteros ex praedecessoribus videntur indicare. Si tamen placeat sculpturam hanc vobis Ravennatibus non advenam, sed indigenam esse (hoc enim minime inficiabor) prompta occurrit coniectura, ipsos Ravennates, ceterosque populos, ut morem Principi gererent, ubi Liviae apotheosim rescivere, ad similitudinem adsentationis Romanae in Templis, quae Augusto sacra ubique erant, signa Liviae intulisse, eiusque imaginibus Templorum adcessoria exornasse.

VI. Succedit simulacrum Iulii Caesaris, de quo minime haesitandum est; nam peculiari suo symbolo nobilitatur. Ipsae tamen non humana specie, sed divina videntur se praebet; nam, Divorum more, nudus est, solo peplo, quemadmodum Iupiter effingi solebat, obvelatus. Dexteram Romae protendit, et blando, ac fereno vultu, (non illo mecastor, quo Perusinas aras circuire visus est)

novum Principem , columen Reipublicae , et spem populi , illi videtur commendare . Insignitur vero praeclaro fidere , in eius fronte impresso : ex quo illum tamquam praecipuo caractere dignoscimus , freti auctoritate Plinii Lib. II. Cap. 25. *Sidus crinitum per septem dies in regione caeli , quae sub Septentrionibus est , conspectum . Eo fidere significari vulgus credidit Caesaris animam inter Deorum immortalium Numina receptam : quo nomine ad insigne simulacro capitis eius , quod mox in Foro consecravimus , adiectum est . Eadem prorsus tradita legimus apud Suetonium in Iulio Cap. 88. In Deorum numerum relatus est , non ore modo decernentium , sed et persuasione vulgi . Siquidem ludis , quos primo consecratos ei heres Augustus edebat , stella crinita per septem dies continuos fulsit , exoriens circa undecimam horam ; creditumque est animam esse Caesaris in caelum recepti : et hac de causa simulacro eius in vertice additur stella . Hoc etiam confirmavit suo in Virgilium commentario Servius : Augustus omnibus statuis , quas ob divinitatem Caesari statuit , hanc stellam adiecit . In cuius rei testimonium ipsius Divi Iulii sigillum aeneum heic Pisauri in Museo Arditio adservatur , cuius capiti stella inhaerens cernitur , quae insciis quibusdam Solis imago visa est . Hanc vero dignitatem a Iove Caesari adtributam , intercedente Venere , generis sui progenitrice , finxit Ovidius Metamorph. XV. vers. 840. quam sic conloquentem describit :*

*Hanc animam interea caeso de corpore raptam
Fac iubar , ut semper Capitolia nostra , Forumque
Divus ab excelsa prospicet Iulius aede :*

ad quam etiam adludit Virgilius Eclog. IX. vers. 47.

*Ecce Dionaei processit Caesaris astrum :
Astrum , quo segetes gauderent frugibus ; et quo
Duceret apricis in collibus uva colorem .*

Et

Et° Lucanus Lib. VII. vers. 457.

*Bella pares superis facient civilia Divos :
Fulminibus Manes , radiisque ornabit , et astris ,
Inque Deam templis iurabit Roma per umbras .*

VII. Media inter Iulium , atque Augustum Livia , et ipsa Numinibus addita , sub aspectu Iunonis repraesentatur : quod non obscure indicat insignis corona , quae eius caput ambit , eaque prorsus , quae Iunoni in antiquis picturis , et simulacris adtribuitur : sed et Amor parvulus , qui prope ipsam volitat , aliquid eius auribus infusurrat . Ipsa vero , primum ubi maritus eius transcendit ad Divos , ex uxore Sacerdos eius facta est . Dio Lib. LVI. *Tunc verum consecrantes Augustum Sodales , ei sacra instituerunt , et Sacerdotem Liviam .* Quod etiam tradit Paterculus Lib. II. *Livia Romanarum eminentissima , quam postea coniugem Augusti vidimus , quam transgressi ad Deos , Sacerdotem .* Hac demum defuncta , ex Antistite Divorum , et ipsa Diva salutata est a Claudio Caesare , ut tradit Suetonius in Claudio Cap. II. *Aviae Liviae divinos honores , et Circensium pompa currum elephantorum Augusteo similem decernenda curavit .* Addit Dio et Vestalium ministerium eius honori additum fuisse . Sic enim habet Lib. 60. *Aviam Liviam praeter hunc honorem , etiam immortalitati adseruit , dedicavitque eius effigiem in templo Augusti , ac rem sacram ei fieri a Vestalibus mandavit , mulieresque per nomen eius iurare iussit .* Nummi quoque in eius honorem cusi honorum divinorum , quibus prona , effusaque adulatione decorata est , testimonium faciunt . Mirifice vero hoc Marmor illustrat Prudentius in Symmachum , qui Liviam non modo consecratam , sed in Iunonem transformatam tradit , eiusque simulacrum in Templo Augusti repositum memorat :

Adie-

Adiecere sacrum , fieret quo Livia Iuno .

Hoc vero eo facilius obtinuit , quo virum eius Augustum in Iovem transformatum repraesentarunt , ut infra observabimus .

VIII. At Pueruli imago sub specie Cupidinis Liviae adstans , non arbitrario consilio adiuncta est ; quin potius alterum ex Principibus iam fato functis repraesentat ; illum nempe ex Germanici liberis , qui adhuc puer Augustus , et Liviae admodum carus existit , et praematura morte sublati magnum utrique sui desiderium reliquit ; de quo sic loquitur Suetonius in Caligula Cap. 7. ubi Germanici eius patris vitam paucis restringit : *Habuit in matrimonio Agrippinam , M. Agrippae , et Iuliae filiam , et ex ea novem liberos tulit : quorum duo infantes adhuc rapti , unus iam puerascens , insigni festivitate ; cuius effigiem habitu Cupidinis in aede Capitolinae Veneris Livia dedicavit : Augustus in cubiculo suo positam , quotiescumque introiret ; exosculabatur .* Prudenti igitur Artificis consilio sub illa forma , quae iam publice innotuerat , et utrique Principi acceptus erat , inter utriusque imagines in hoc Marmore conlocatus est .

IX. Ultimus omnium succedit Augustus , qui cultu corporis , ceterisque ornamentis Iovem imitatur : quod communi adstantatione iam fuerat introductum , ut liquet ex Ovidio Fastorum Lib. II. vers. 131. ita Augustum adloquente , illumque Iovi comparante :

*Hoc tu per terras , quod in aethere Iupiter alto ,
Nomen habes . hominum tu Pater , ille Deum .*

Nam et corona querna redimitus est , et hastam puram , seu sceptrum sustinet dextra ; quae quidem Iovis symbola non ad Sculptoris libitum , sed , adnuente Senatu , illi adtributa

bufa sunt ; nam in nummis post eius mortem eufis aquila , et fulmen ei adsignatur . Quo respexit Lucanus loco superius adlato :

Fulminibus Manes , radiisque ornabis , et astris .

Praeterea etiam corona querna , addito lemmate DIVO AVGVSTO S. P. Q. R. demum caelestis orbis , cui regendo in caelum adfcitus putabatur . Hoc mire exprimit in hoc Marmore ipse caelestis orbis sub Augusti pede conlocatus , quem in aliis etiam marmoribus se observasse testatus est supra laudatus Blanchinius in Praefatione ad Marmora Aulae Vrbinatis : quod ipso quoque adhuc inter vivos agente communi quadam orbis adulatione factitatum est : quo etiam respexit Manilius Lib. I. vers. 796.

————— *Venerisque ab origine proles
Iulia descendit caelo ; caelumque replevit ,
Quod regit Augustus , socio per signa Tonante .*

Et Lib. IV. in fine :

*Ne dubites homini divinos credere visus ,
Iam facit ipse Deos , mittitque ad sidera Numen ,
Maius et Augusto crescit sub principe caelum .*

In ipso caelesti orbe ita Zodiacus ex industria locatus est , ut Scorpius in fronte positus primum locum obtineat : ut indicaret Sole hoc signum percurrente , ipsum orbi donatum fuisse , ut in eius vita tradit Suetonius Cap. v. Ipse vero primus omnium adhuc vivens templis , et aris decoratus est , ut tradit idem Scriptor in eius vita Cap. LII. *Quamvis sciret etiam Proconsulibus decerni solere ; in nulla tamen provincia , nisi communi suo Romaeque nomine , recepit : et Tacitus Annalium Lib. IV. Cum Divus Augustus sibi , atque*

Vrbi Romae Templum apud Pergamum fisti non prohibuisset. Et Iosephus Antiquit. Iud. Lib. xv. Cap. 13. Templum ibi Augusto sacrum exstruxit a longe conspicuum navigantibus: et in eo statua Romae altera, altera vero Caesaris. Ipso vero fati functo, non modo Divus ex Senatusconsulto pronunciatus est; sed et ingens illi Templum decretum fuit. Dio Lib. lvi. Ipsi Templum quidem Romae decretum quidem a Senatu, sed a Livia, et Tiberio structum est, idque alibi, et pluribus locis. At ab ipso Tiberio inchoatum potius, quam absolutum fuisse explicat Suetonius in Tiberio 47. Princeps neque opera ulla magnifica fecit; nam et quae sola susceperat, Augusti Templum restitutionemque Pompeiani Theatri imperfecta post tot annos reliquit. Id vero a Caligula absolutum, et dedicatum fuisse probant eius nummi, in quibus eiusdem Templi exastyli prospectus simulacris, et quadriga insignis dignoscitur, addita epigraphe: DIVO AVG. S. C. cuius nummi auctoritatem confirmat Suetonius in Caligula Cap. xxi. Augusti Templum absolvit. Et Dio Lib. lix. Deinde Caius habitu triumphali Templum Augusti dedicavit, nobilissimis pueris aetate florentibus, cum virginibus eiusdem ordinis, hymnum canentibus. Fecit autem in ea Palatini parte, quae Foro imminebat, et Capitolium simul prospectabat: quo in loco ingentes adhuc substructiones superstites, quum Romae essemus, saepissime visitabamus. Plinius quidem Lib. xii. 19. ait fuisse in Palatio: Vidimus in Palatii Templo, quod fecerat Divo Augusto coniux Augusta: quod etiam confirmat Ovidius Metamorphos. xv. vers. 841.

— *Semper Capitolia nostra, Forumque
Divus ab excelsa prospectet Iulius aede;*

nam in eo Templo Divi quoque Iulii imago colebatur. Ceterum pulcherrimus iste nexus, quo tota Augusti familia
di-

divinitate donata repraesentatur, quodammodo proponitur nobis ab Ovidio Lib. IV. de Ponto Epist. IX. ubi easdem ipsas imagines in Augusteo Sacello describit vers. 105.

*Nec pietas ignota mea est ; videt hospita tellus
In nostra sacrum Caesaris esse domo .
Stant pariter Natusque pius , Coniuxque Sacerdos ,
Numina iam facto non leviora Deo .*

Hanc enim profapiam a caelesti origine propagatam, totam pariter caelo deberi reputabant, unaque Caesaream progeniem esse colendam. Manilius Lib. I. vers. 796.

————— *Venerisque ab origine proles
Iulia descendit Caelo ; Caelumque replevit ,
Quod regit Augustus , socio per Signa Tonante .*

X. Alterum huius Marmoris fragmentum caeremoniam in consecrationibus Principum obviam, hoc est victimarum immolationem ostendit : quod etiam in dedicatione Templorum, et potissimum in eo, quod ipsi Augusto dictum fuit, contingebat ; ut manifeste ostendit praecitatus nummus, in quo Imperatori Caio sacra obeunti victimarius adstat, qui taurum ad aram statuit. Quum enim per omnia Augustum Iovi exaequassent, minime alienum erat, si maiorem victimam et ipsi immolandam putavissent. Hoc clare probat eiusdem Prudentii auctoritas, qui loco citato tradit Augusto litari tauro consuevisse :

*Hunc morem veterum , docili iam aetate , sequuta
Posteritas , mensa , atque adytis et Flamine , et aris
Augustum coluit , vitulo placavit , et agno :
Strata ad pulvinar iacuit , responsa poposcit .*

Ceterum, si quae defunt in tam praeclaro, tamque nobili Monumento, cuius oppido vix unum latus, neque integrum, et alterius partem habemus, intueri nobis datum esset, multo plura, quae ad hanc caeremoniam pertinebant, observaremus, quibus non mediocriter in tam praecipuo argumento Antiquitatis scientia iuvaretur. Haec tamen, detrimenta late compensat huius saeculi industria, quae tota est in venerandae Antiquitatis reliquiis non eruendis modo, sed etiam inlustrandis: in quo praecipue studio Concives tui summopere enitent, conspirantibus omnium, votis ad Patriae monumenta condecoranda. Inter hos vero praeterire silentio non possum virum religione, litteris, et dignitate conspicuum Petrum Paullum Ginannium Gentilem tuum, Casinensium Praesidem Generalem, qui pleraque iamdiu conssepulta monumenta luci restituit, praesertim vero Gothorum Regum Mausoleum, quod alte terra obrutum, egestis immensis ruderibus, omnium oculis conspicendum praebuit. Nec reticere debeo alterum Camaldulensis familiae decus Mariangelum Flaccum, Classensi Bibliothecae Praefectum, cuius diligentia ingens Marmorum scriptorum numerus erutus est. Florent apud vos omnigenae politioris litteraturae studia, quae praesertim domi tuae quodam iure successione custodiuntur: sunt in pretio Viri docti: Eruditorum confessus ita frequentantur; ut non dubitem adfirmare peregrinam Gothorum barbariem, atque Exarcharum tyrannidem, qui iam tum florentissimam Urbem vestram, immo et late Italiam totam opprimere conatae sunt, virtutibus vestris expiatae, maiori gloriae vestrae cessisse.


DE GEMMA GAMELIA

EX DACTYLIOTHECA GORIANA

D I S S E R T A T I O V.

IOANNIS BAPT. PASSERĪ

I. C. ET VICAR. PISAVRENSIS



r. v. sc. Inscat. Chystallo Mus. ————— Sorii figuris inauratis

DE GEMMA GAMELIA

DISSERTATIO V.

AD NOBILISSIMUM ET ORNATISSIMUM

CAROLVM FERDINANDVM CAPPONIVM

COMITIS ET EQVIT. FERRANTIS SENATORIS F.

PATRICIVM FLORENTINVM

SACRAE RELIGIONIS HIEROSOLYMITANAE

EQVITEM COMMENDATARIVM

NIHIL ferme iucundius mihi COLVMBARIAE SOCIETATIS Sodali contingere poterat, CAPPONI GENEROSISSIME, quam veterem Gemmam e Da&tyliotheca Goriana depromtam offerri explicandam, in qua Coetus nostri insignia, COLVMBAE GEMINAE se se invicem respectantes, incisae sunt; ut subinde coniecturam de illa meam coram Te proferrem, de eo litterario inlustri Conventu adprime meritum; praesertim quum Antiquitatum studia, non consilio magis, quam hereditate exceperis, quae in Familia Tua longe praeclarissima quodammodo

gen-

gentilia reputantur : quum ex ea, maximo Reipublicae Literariae bono, summopere ornata, atque amplificata prodierint. Antequam vero ad hoc Cimelium pulcherrimum inlustrandum adcedam, quod iam tu ipse dum ostenderetur Sociis Columbariis vidisti, et pluris fuisti; memineris hoc ipsum EMBLEMA insculptum esse crytallo in postica eius parte; nam in antica superficiem totum planum est. Columbae auro superfuso fulgent, uti etiam falcatae lunulae, et corona, quae ipsis desuper inminet. Crytallinus orbis inclusus est in quodam ornamento, quod lapidem subviridis obscuri coloris imitatur, et refert: ut facile coniecturae sit locus, vel muliebris fibulae, vel bullae locum tenuisse, ac boni ominis gratia puellae Sponsae donatum fuisse.

II. At longe alio consilio, quam in Academiae nostrae Stemmata, ubi duae columbae iunguntur, se seque MVTVIS OFFICIIS ad studia promovenda fovent, in hac Gemma elegantissima copulantur. In hac enim, nisi me coniectura fallit, faustissimarum nuptiarum emblema ita exhibent, ut minime mihi haesitandum sit, quin inter *caelaturas Gamelias* id monumentum adenseam. Columbae in primis Veneri nuptiarum praesidi sacrae sunt. Rationem rei profert Fulgentius Mythologiae Lib. II. *In huius etiam tutelam columbas ponant; illa videlicet causa, quod huius generis aves sint in coitu fervidae.* Albricus quoque columbas circa Venerem locat: *Et columbis circa se volando comitabatur:* adeo ut ex earum indicio eius Numen, atque omen cognoverit Aeneas apud Virgilium in VI. vers. 190.

————— *Geminæ cum forte columbae
Ipsa sub ora viri caelo venere volantes,
Et viridi sedere solo. tum maximus Heros
Maternas agnoscit aves, laetusque precatur.*

Geminas quoque columbas, currui eiusdem nexas, illi tribuit Ovidius Metamorph. XIV. vers. 597.

*Perque leves auras iunctis inuicta columbis
Litus adit Laurens : —————*

praecipue quum nuptias conciliaret ; ut apud Claudianum in Epithalamio Palladii , et Serenae :

*Floribus exstruitur currus , iuga floribus halant ;
Florea purpureas adnectunt fraena columbas .*

III. Quod vero in hoc sphragismate singulare omnino est , ambae columbae Lunulis falcatis insistant . Huius symboli multiplex ratio adduci potest ; illa praesertim factis obvia , atque trita , quod nuptiarum solemnia noctem , quae per Lunam significatur , expectarent . Hinc nuptiis Proserpinae Nox adstat apud eundem Claudianum Lib. II.

*————— Stat pronuba iuxta
Stellantes Nox picta sinus . —————*

Catullus quoque ab illa nuptiale Carmen exorditur :

*Vesper adest , Iuvenes , consurgite : Vesper Olympo .
Surgere iam tempus , iam pingues linquere mensas ;
Iam veniet Virgo . —————*

Nam maxime exoptatae tenebrae , quae Virginum pudorem , et verecundiam aliquatenus minuerent ; unde Tacitus de infandis Neronis Nuptiis refert : *Cuncta denique spectata , quae etiam in femina Nox operit .*

IV. Fortasse etiam Luna omen perpetuitati nuptiarum facere videbatur , quum illa Aeternitatis symbolum haberetur , ut in Notis ad haec GEMMAS ASTRIFERAS faepe ostensum est , potissime vero in Dissertatione IV. iam edita

de *Transfectione Animarum*. Quapropter aviculae coniugalis amoris indices Lunulis insistentes, ipsam fidei maritalis perennitatem facile designant, quam nulla unquam perturbatio violaret: nihil enim pulchrius in connubiis habebatur, quam quod perpetuo foedere perfisterent. Sic praefatis Infernae Deae Nuptiis eadem Nox Pronuba:

————— *Tangensque cubile,*
Omina perpetuo genitalia foedere sancit:

et Iuno non aliter Nympham spondet Aeolo:

Connubio iungam stabili, propriamque dicabo.

Delecta propterea est ad coronamenta nuptialia potissimum oliva, ob viroris perpetuitatem. Sidonius Carm. XIV.

Prosper connubio dies coruscat,
Quem pacis simul arbor, et inventae,
Aeternumque virens, oliva signet.

De nuptiarum vero aeternitate exempla illa, fabulosa quidem, sed industria, iactabantur de Eurydice, atque Alceste ex Inferis revocatis, quae pulcherrime, atque aptissime ad propositum hoc enumerat Sidonius in Epithalamio Araneolae.

V. Habebatur praeterea Luna inter connubiorum praefides Deas, ob eam rationem, quam Macrobius Saturnal. Lib. VII. Cap. 16. *Proprium eius munus est distendere rimas corporis, et meatibus viam dare: quod ad celebrando partui salutare est.* Eadem et apud prae laudatum Macrobius in Somnium Scipionis nuncupatur: *Dux nascentium, mortalium corporum auctrix, et conditrix.* Hinc apud Horatium in Carmine Saeculari:

Tu Lucina dolentibus
Iuno dicta puerperis.

Nec fortasse alio consilio Lunas falcatas, et quodammodo novas, Scalptor exhibuit: *quod novilunio vis quaedam insit, quae pariendi facultatem adferat*: ut scripsit Porphyrius apud Eusebium de Praepar. Evang. III. Praeterea in conubiis celebrandis maximopere Lunae ratio habebatur; nec enim omnia tempora aequae prospera ad id censebantur. Sic Clytemnestra apud Euripidem in Iphigen. in Aulid. plenilunium in nuptiis expectandum respondet:

Quando Lunae fortunatae venerit circulus.

Vitabant vero vel novam, vel decrefcentem; eo quod eius damnum minime auspiciatum censeretur: contra vero plenitudo faustissima. Placuit vero Artifici Gemmario Lunam non integram, sed falcatam exprimere; eo quod non aliter a Sculptoribus caelari consueverit, ne si alterius figurae praeter usum fecissent, symbolum id praecipue in minutissima caelatura ambiguum, atque incertum oculis esset: quod adeo verum est, ut vix in uno Marmore Musei nostri, quod in praemissa Dissertatione *de Animarum Transvectione* publicavimus, Lunam integro orbe exhibitam viderimus.

VI. Ad cetera GAMELIA SYMBOLA adcedit corona Veneri sacra, quae columbis instat: Veneri, inquam, sacra; quippe quia Dea illa in Hymno Homericō nuncupatur:

Pulchram coronam habens Cytherea:

et rursus:

Auream coronam habens pulchra Venus;

quamque Orpheus in alio Hymno indigitat:

Gaudentem coronis; nuptiarum curam habentem,

Corona vero huius nostrae Gemmulae constans ex solido circulo superne leniter repando, et margaritis referto, eadem ipsa est, quam toties, CAPPONI ORNATISSIME, supra caput Veneris conlocatam vidisti in celeberrima illa Pictura apud Bartolum, in qua Veneris, et Adonidis fabula exhibetur. Facile etiam, si quis censuerit esse Veneris cestum, non erit repugnando locus: magis vero de Veneris corona opinio mihi adridet. Haec eadem coronae forma frequentissima est in Etruscorum picturis, in quibus nuptiales caeremoniae expressae cernuntur: neque aliam descripsit Claudianus Mariae Augustae praeparatam:

Et gravibus Spatale baccis diadema ferebat.

Manfit enim haec coronarum forma apud inferioris aevi Principes feminas, ut ex earum nummis saepe videre est. Id vero coronae ornamentum in hoc lapillo incisum non modo ad ipsam Venerem adludit, cui id gestamen communiter tribuebatur; verum etiam ad novas nuptas, quas coronari demonstravimus in Epistola *de Diptycho Quiriniano*, et luculentius dicturi sumus in Notis ad easdem picturas Etruscas: quarum quidem eximiam collectionem (etsi maleferiati aliquot Scriptores carpent, et si lubet, ut solent, deridebunt; Litterariae tamen Reipublicae cultores optimi laeto animo excipient, veluti lucem magnam Antiquariae scientiae adlaturam) alacri tamen studio, atque imperturbato animo praeparamus. Augent hanc nobis fiduciam mores tui honestissimi, mira probitas, et perpetua in studiis colendis ornandisque constantia, et optimae disciplinae ratio, quam ex ipso GORIO tuo hausisti; quae Te Musarum alumnum, et Academiarum omnium tum patriarum, tum exterarum ornamentum reddiderunt.


N I L V S

A B R A X E V S

D I S S E R T A T I O VI.

IOANNIS BAPT. PASSERĪ

I. C. ET VICAR. PISAVRENSIS



Insculpt Jaspidi rubro apud Mercat. Neapolitanum.

NILVS ABRA XEVS

D I S S E R T A T I O VI.

AD VIRVM CLARISSIMVM

EDVARDVM CORSINVM

CL. REG. SCHOLARVM PIARVM

IN ACADEMIA PISANA PHILOSOPHIAE

PROFESSOREM CELEBERRIMVM



Ellem, CORSINI RELIGIOSISSIME, ac
SAPIENTISSIME, quoties praeclariora ope-
ra typis evulgantur, aliquam in his partem
laudis adtribui singulis doctis Viris, quo-
rum virtute aetas nostra maxime fulget,
ac decoratur; ut qui mercedem nullam laboribus suis dari
sentiunt (fortasse nec quaerunt) quadam veluti Scriptorum
omnium conspiratione celebrentur; quo testimonio ali-
quando comprobetur illos in omnium existimatione floruif-
se. Haec mihi animo volutanti, quum insignem hanc

GEM-

GEMMARVM ASTRIFERARVM Collectionem Notis adornarem (quod quidem modestiae simul, ac benevolentiae praestantissimi Gorii nostri acceptum fero) inter ceteros, qui mihi nominis fama praesentes fuere, facile Tu ipse protinus occurrissi; simul animo constituens, ut aliqua honori tuo pars in hoc Opere tribueretur, cuius humanitas, et venerandi mores lectissimam doctrinam tuam mire condecorant, Tibique in parte aliqua dicatum esset; quae quidem exigua, meritis tuis impar profecto foret, etiamsi Tibi ex integro sifteretur. Aequat tamen vota nostra quaecumque ea sint, quae immortale nomen tuum excipit, ex quo et obsequio nostro fecimus satis, et gloriae eiusdem Operis consulimus.

II. Tractatiunculae huic nostrae de NILO ABRAXEO occasionem obtulit Gemma nuper à nobis contrectata, eaque stilo exscalpta, qui vulgo Basilidianis adtribuitur. Horrens id scalpturae genus nauseam potius, quam ingenium excitat: ex quo nullibi insolentior privata Artificum mens luxuriata est, quam in hisce lapillis; in quibus plerumque nulla lex stetit, nisi obscuritatis adfectatio, quae laxatis ingenio impostorum habenis, in monstrosa inventa fere semper erupit. Nullus proinde ex illis eruditionis proventus expectatur, in quibus stupenda magis quam elucubranda deprehenduntur. Pauculas tamen ex eisdem Gemmis, quae humaniore cultu caelatae sunt, et in quibus aliqua veteris Mythologiae vestigia observantur, ad honorem huiusce THESAURI GEMMARVM ASTRIFERARVM eveximus.

III. Has inter non omnino adspernanda visa est praesens, quae NILI iacentis imagine ornatur. Notae quaedam circumiectae magicas voces referentes haud ambiguo testimonio

monio evincunt , cui doctrinae illam referamus ; quas inter una vox ΑΒΡΑΖΑΣ , corrupte pro ΑΒΡΑΕΑΣ , nobis perspicua est . At tantam inter hanc vocem , exsculptumque typum , adfinitatem intercedere observavimus , ut ex universo magicorum amuletorum thesauro id sphragisma inter minus insolentia , atque inconsulta reputaverimus . Fuere Viri docti , qui Deum Basilidianorum , barbaro hoc nomine nuncupatum , subtili studio ad omnes fere Deorum formas traxerint ; ex quo saepe saepius idem lemma singulis Deorum imaginibus coniunctum observatur : in quo quidem forte hallucinati sunt , putantes inscriptionem illam cum delineatis imaginibus convenire , cum quibus , ut plurimum , nihil commune habet . In hoc vero sigillo nomen ΑΒΡΑΖΑΣ nec temere , nec oscitanter adiectum est . Adeo enim convenit cum NILI imagine , ut ipsum aenigmatice eius nomen contineat , ut infra videbimus . Hinc factum est , ut huic figurae nomen NILI ΑΒΡΑΧΕΙ tribuerimus .

IV. Insignitur eadem Nili imago consueto copiae cornu frugibus redundante , quo Flumina fere omnia ornantur , ad eorum fertilitatem indicandam . At praecipuo iure Nilus hoc insigni decoratur ; quippe quia uno huius fluminis beneficio tota Aegyptus fecundatur : quod in Panegyrico ad Traianum Augustum notarat Plinius Cap. 30. *Aegyptus proprio semper amne perfusa , nec alio genere aquarum solita pinguescere , quam quas ille devexerat , tantis segetibus induebatur , ut cum feracissimis terris , quasi nunquam cessura certaret .* Hinc *dives* ab Ovidio Amor. Lib. III. Eleg. VI. vers. 39. praedicatur :

Ille fluens dives septena per ostia Nilus :

et

et *fecundum* adpellat Statius Thebaid. III.

Sen fecunda refert placidi clementia Nili .

Loti flore tanquam praecipuo adtributo caput ornatur: cuius symboli, ut mysticas significationes praetermittamus, quae multae quidem sunt, sed fere inanes, ea praecipua ratio est, quod spontaneo eius virgulti beneficio, nulloque labore parto, veluti oblata a natura fruge, plebs pascitur: tanta vero in Aegypto, atque Africa eius stirpis exuberat copia, ut Syrtium accolae *Lōtophagi* dicti sint; quorum, qui communem cibum degustassent, patriam obliviscebantur, ut Odyssaeae IX. scribit Homerus:

*Ex his autem quicumque loti comederent mellitum fructum,
Non amplius renunciare valebant, neque retro redire.*

Cui fabulae adlusit Ovidius Tristium Lib. IV. Eleg. I. vers. 31.

*Sic nova Dulichio lotos gustata palato,
Illo, quo nocuit, grata sapore fuit.*

Sistrum altera manu adtollit, rauci murmuris symbolum, quo Nilus exundans, et fluminis modum supergressus, subito aequore perfundit terram, quum

*Et patris undosi sonitus expectat hiulca
Aegyptus .*

Quapropter *aerisonus* nuncupatur a Statio Thebaidos Lib. I.

Captus et aerisoni lugentia flumina Nili:

nihilque nisi eiusdem fluminis excessus, recessusque significabant virgae illae in sistro stridulae: unde instrumentum illud inter mysteria in sacris adhibitum est; indeque in bello

bello ominus causa ufurpatum ; quapropter Cleopatra apud Virgilium Aeneid. Lib. VIII. vers. 696.

————— *patrio vocat agmina fistro.*

V. Astrum convenientissime Nilo copulatur : illud inquam , cuius vi Nilus exundat . Iuvat heic referre Plinii verba Histor. Nat. Lib. XVIII. Cap. 18. *Nilus ibi coloni vice fungens , evagari incipit , ut diximus , Solstitio , et nova Luna ; ac primo quidem lente , deinde vehementius , quamdiu in Leone Sol est : mox pigrescit , in Virginem transgresso ; atque in Libra residet .* Quapropter eius aqua praeter modum ceterarum aestivo calori tribuitur a Tibullo Lib. I. Eleg. VIII. vers. 22.

Fertilis aestiva Nilus abundet aqua ;

quem imitatus videtur Claudianus Lib. I. in Rub. Carm. vers. 185.

Hinc bibet aestivum septeno gurgite Nilum .

VI. Notas characterum libenter missas facimus , quum luculentissima demonstratione probaverimus nec sensum ullum inde erui posse , nec unquam forte habuisse ; neque enim inde verba ulla in reliquis aliis paene infinitis Gemmis coalescunt , et mugitus magis , quam dictiones referunt . Vna tamen vocula ΑΒΡΑΖΑΣ , heic observatione digna est ; nam , ut praemisimus , aenigmatice nomen *Nili* continet . Noti , DOCTISSIME CORSINI , nomen illud , quo Basilidis Deus nuncupabatur , ex vi quadam numerica coaluisse ; per quam , singularum litterarum valore subputato , numerus CCCLXV. educebatur , quotos Caelos Mens creatrix Basilidis esse constituerat pro numero dierum , ex quibus annus efformatur , quibus eorundem Caelorum singulae potestates praesiderent ; quod etiam ex Divo Au-

gustino, aliisque eiusdem aevi Patribus alibi demonstratum est. Hanc autem doctrinam Magi fere omnes sequuti videntur, qui ad eorum talismata roboranda nomen id libentissime transfulerunt: licet aliquando adeo oscitanter illud usurpasse videantur, ut eius vim, atque significationem ignoraverint: quum, perturbato litterarum ordine, in quo tota virtus abraxea constituta erat, id nomen inscripserint; ut propemodum in hac Gemma observatur, in qua Z pro E facili quidem styli lapsu, sed qui imperitiam Sculptoris redarguit, substituta est. At grande id arcanum ex disciplina Aegyptiorum desumptum videtur, quibus nomen ΝΕΥΛΟΣ eundem numerum conflat; nam N valet 50, E 5, I 10, Λ 30, O 70, Σ 200, quibus numeris simul conlectis emergit summa CCCLXV. Itaque mystica hac ratione inspecta, idem prorsus fuisset *Abraxam* dicere, ac *Nilum*; quum utriusque vocis eadem virtus, atque potestas haberetur, eademque numerorum significatio: ut minime heic miremur, si Nil typò barbarum illud nomen suppositum sit, quod iuxta Magos eandem significationem praeseferebat.


VII. Haec vero potissima ratio est cur hisce Gemmis Abraxeis astrum, quo Sol significatur, tam frequenter coniunctum videatur: quum enim annuo suo cursu totum Abraxei numeri periodum conficiat, tanquam doctrinae indicium, et divinitatis administrum, adesse arcanis sculpturis voluerunt. Pauca haec accipe, exiguum plane, perennis obsequii erga Te mei tesseram, CORSINI CELEBERRIME. A Te quidem speranda sunt maxima, et praestantissima, ingenii et perpetui laboris tui monumenta; quibus tum iam editis, tum mox edendis ingens nomen, in Litterario Orbe, omnique aevo celebrandum, Tibi comparasti.

D I V I N A T I O
I N G E M M A M
M A G I C A M
D I S S E R T A T I O VII.
IOANNIS BAPT. PASSERI
I. C. ET VICAR. PISAVRENSIS

GEMMA MAGICA



Onychi insculpt. extat. ap. Hieronymum Fr. Zanetti Venetiis



1756.

Ex Ectypo Musei Párisii

D I V I N A T I O
I N G E M M A M M A G I C A M

D I S S E R T A T I O V I I .

A D V I R V M C L A R I S S I M V M

H I E R O N Y M V M Z A N E T T I V M

A L E X A N D R I F . V E N E T V M

E I V S D E M C I M E L I I D O M I N V M



VOTIESCVMQVE inter Veterum Monamen-
ta, quae nobis contemplanda sese offerunt,
incidimus, in illa nempe ingenii, nescio an
dixerim portenta, aut tormenta, quae Basi-
lidianorum officinis vulgo tribuuntur; quae-
que revera, nec Basilidis scholam redolent, neque alteram
ullam, quam ex Veterum scriptis perspectam habeamus:
ut probe nosti, ZANETTI ERVDITISSIME, dicere sole-
mus, illa neque aptius, neque melius posse explicari,
quam ingenue profitendo, nec explicationem admittere, nec

me

mereri. Aenigmata sunt insulsiſſimorum hominum, qui ex infima ſuperſtitionis faece emerſerunt; id unum prae animo habentes, ut populi admirationem ſibi ex arcana ſcientia conciliarent. Nullam hi ſcholam ſequuti, nullam mythologiam; immo nullam ratione rem adtigiffe credendum eſt, ubi plura commenta inſimul confarcinata propoſuerunt: unde, vel ipſo errore repugnante, monſtroſos imaginum nodos, et verborum nihil ſignificantium vortices in lapillis inſculperunt, quos non magis ad morbos, quam ad pecuniam a credulis conradendam, et expilandam, legibus etiam Gentilium reclamantibus, venditarunt.

II. Quia tamen Viri docti non omnino Gemmas haec ſpernendas reputarunt; immo, ordinata ſimul illarum ſerie, Eruditorum oculis obiecerunt; morem illorum ſequuti, pauculas adhuc ineditas, quae inter ASTRIFERAS cenſebantur, huic Operi inferendas curavimus; eo conſilio, ut integram Antiquitatis imaginem, etiam in ipſis Veterum nugis, inquireremus. Non enim haec ſtudia noſtra, perſcrutantur ea tantum, quae prudenter Antiqui ſenſerunt; ſed univerſa quoque, quae ipſi ſenſerunt, ſpeculantur. In hac vero claſſe non ultimum locum ſibi vindicat Gemma illa tua hinc inde inſculpta, et ſtellis ornata; cuius imaginem, Te auſpice, ac favente perſcrutandam mihi nuper obiecit commune delictum noſtrum, et ſaeculi ornamentum, ampliffimus Praeſul Gorius: ſimul rogans, ut Commentariolo, quoad res pateretur; elucidarem, Tibique, veluti in gratiarum actionem, quod parergo hoc ipſum Aſtriferum Syntagma iuveris, inſcriberem, ITALICARVM MVSARVM DECVS, ZANETTI ILLVSTRISſIME, ATQVE ORNATISſIME: cuius doctrinam dudum perſpectam habebam, et quam adeo frequenter extollere conſueveram

veram dum religiosissimus Frater tuus Teatinorum Sodalium lumen, eloquio, et pietate clarus, apud nos versaretur.

III. Sed age iam, quae de tuo hoc Cimelio, ut nostra fert opinio, dicenda sunt, proferamus; in quo tamen consuetus nobis stylus linquendus fuit, nullis adhibitis veterum Scriptorum testimoniis, quorum suffragio sententia nostra probaretur. Quos enim adhibebimus ad scientiam explicandam, quae sine scientia est, et quam nulli Veterum nobis tradiderunt? Quapropter, ubi nulla patet certa ad explicationem via, ad divinationem convolandum fuit, ut, auctoritate destituti, rem uni rationi fideremus. Gemmam per partes explicabimus; partium deinde consensum ex omnibus eruere conabimur: sobrietatem nostram in primis sequuti; quum praesertim de hoc Monumentorum genere Dissertationem integram iam elucubraverimus, atque in altero huius Thesauri Volumine praemiserimus.

IV. Gemma haec tua in utroque latere sculpta est; et ne quis locus careret superstitione, limbus etiam inscriptus observatur. Ingenium Sculptoris monetariorum stylum imitatus est, qui in antica certam imaginem exprimebant; in postica vero eiusdem adtributa. Primum Gemmae adspectum occupat Vir sedens; alterum Hippogryphus a Victoria coronatus. Ille Numen refert; hic vero Numinis potestatem. Totus vero huius Gemmae adparatus ex triplici religione coalescit, Romana, Graeca, atque Aegyptia; unde intelligimus ex neutra disciplina posse illa explicari, quae heic caelata spectantur. Vir sedens, subligaculo praecinctus, cetera nudus; Aegyptiacum exprimit Sacerdotem, non quidem Isiacum; quia, praeter eius Deae morem, capillatus est. Hoc nempe habitu, qui omnium sanctissimus ha-

habebatur, divinitas exprimi consueverat: neque aliter Deos, quam sub specie sacrificulorum, efformari institutum erat; quod saepissime in Notis ad Lucernas observavimus. Serpente tamen praecingitur, cuius dignitatem tanti fecerunt amuletorum artifices, ut nihil sine illo publicarint; manifeste testati, quo praeceptore profecissent. Plerumque supernam Mentem, ambitu suo omnia complectentem, sub hoc symbolo exprimebant, illique aliquando orbem caelestium, terrestriumque rerum imaginem includebant; significantes superno illo spiritu concludi omnia, atque verari. Sed haec quum humanius saperent, humanum modum aliquando praetergressi, atque altiora adpetentes (quae Magorum arrogantia fuit) rebus hisce speciem humanam addiderunt; rerum Naturam sub mortali specie exprimentes, ut in hoc ipso emblemate observamus, quam quidem serpentino cingulo praecinxerunt. Vidi aliquando adfimilem Gemmam, in qua femineum Numen, et ipsum serpenticinctum, mammis manibus exprimebat, cuius lac profluens animalia quaedam exfugebant: quae significatio aliquam cum Dianae Ephesiae mythologia adfinitatem servabat. Numen heic expressum decussato cubo infidet.

V. Nimius equidem essem, si huius figurae adfectiones, arcanasque proportionem ex Philosophis decerptas referrem, Quod unum ad rem facit, rerum constantia, atque stabilitas sub ea imagine significatur. Et revera, si huius classis Gemmae perlustrentur, cubi huiusmodi cruce signati frequentissime inveniuntur. Vir heic expressus dextera manu circulum crucigerum, Aegyptiacis Simulacris familiarem, sustinet: sinistra manu sceptrum hircinum, maximae dignitatis apud Aegyptios, ob Iovem sub ea pelle servatum. Capite vero Solis astrum gerit, unde fulmen exfurgit, quod

quod quidem gestamen Magi IAO suo frequenter tribuerunt. Lusit itaque Artifex arbitrariam imaginem divinitatis figurando, in qua, ad Pantheorum similitudinem, tot Deorum symbola cumulavit. Forte etiam sub ea imagine initiatus aliquis designatur, in cuius felicitatem praecipuorum Numinum potestates influerent. Ex aenigmaticis notis solam vocem ΚΥΡΙΑΥ, quae est a ΚΤΡΙΟΣ, *Dominus*, intelligimus. Ex ceteris hinc inde obtrufis, multas in Syllabo nostro vocum Magicarum, superius edito, invenies. Latebunt tamen donec Pythonissa aliqua animam revocet antiqui Scalptoris, cum quo eius linguae scientia deceffit.

VI. Alterum latus occupat Hippogryphus, tritissimum Solis symbolum, cui pro area stat alter serpens, supra quem ambulat. Monstruosum istud animal Minervae aegide pectus suum obarmat; qua solarem hominem inclutum, invictumque fore promittit. Inde lacertus cauda suspensus, et mancipatus dependet; quo simbolo significatur, maleficia omnia Naturae humidae Solis fervore concoqui, et superari, et corporum vitia, atque venena depelli. Facile etiam significare potest stellionem, cui portentosam fraudem inesse veteres dictitarunt; in tantum, ut Maiores nostri crimina omnia anonyma hoc uno *stellionatus* nomine significarint. Iocus iste frequentissimus est in eiusdem farinae Gemmis, in quibus aquilae, accipitres, ibices, aliaeque volucres Diis sacrae hosce lacertos unguibus, vel rostro arreptos, conficiunt. Portentosae huic belluae caduceus cervicem exornat; ut quae bellico tegmine pectus protexerat, eloquentiae dotibus mentem exornaret. Itaque qui Gemmam hanc gestaret, non modo fortis, non modo sanus, sed etiam disertus futurus censebatur. Opes


tantum huic viro defuissent : at prudens circulator , Fortunae symbolum , gryphem alterum cum rota stellifera , tergo principis bestiae imposuit , ut adagium illud notissimum verificaretur : *Virtute duce , comite Fortuna* . At nihil sanctius , nihil augustius , cauda maioris hippogryphi , quae in aspidem illum ventrosam , ac rite tutulatum , adfurgit . Eius , ut nosse , tanta apud Aegyptios auctoritas fuit , ut ex eo Deorum capita ornarentur : at e Deorum vertice huius Gemmae Artifex , nunquam prudentior , eum in caudam transtulit , ut ibi pro dignitate consisteret . Putant aliqui plerumque Genii Numen eo monstro significari , qui proinde minaci rictu audax adfurgit , ut dum cetera tam fauste praeceunt , haec ea quae subsequuntur defendat , et ab occultis hostibus in tuto ponat .

VII. Victoria mysticum hunc nexum ferto coronat , ut qui ex tantis Deorum potestatibus coaluerat , victoriae augurium consummaret . Ita Genio populi Romani blanditum est , cui semper id votum stetit , seu interim virtute bellica dimicandum esset , sive periculum eloquentiae , sive corporis virium , sive denique felicitatis , atque fortunae faciendum . At praeter morem hariolum gessi , ZANETTI CLARISSIME . Sint itaque , qui sine invidia agant Antiquarium , et si quid certius habent , quod proferant , in medium adducant . Equidem sculpturam hanc ita interpretatus sum , quemadmodum si illam mihi ordinandam proposuisssem , haec significare reputassem . Ceterum circa hoc cimelium tuum id usurpari potest , quod olim de Diptycho Quiriniano dictum est : *Monumentum praeclarissimum , sed obscurissimum ; sententiae de illo multae , ut hominum ingenia ; quorum dissidia nullus unquam idoneus Index discernet .*

° VIII. Quoniam vero in Gemmae tuae gratiam haruspicinam tentandam cenfui , excurri diligentiffime multiplicia veterum Gemmarum fchemata , quae validiore cera excepta , in Museo meo cuftodiuntur : quorum frequenti adfpectu mentem oblectare foleo , et veluti in illarum thefauro verfari ; hisque , quum mihi fortunae parifimonia maiorem voluptatis fuavitatem denegarit , vicariis ectypis fubftitutis , luculenter compenfo . Totam igitur fupellectilem fcrutatus fum , fi quid forte in ea occurreret , quod Gemmae huic tuae famularetur , eandemque ingenii indolem proderet : et forte fortuna unius Gemmae fpecimen mihi oblatum eft , quod in fronte huiufce Divinationis meae Amicus nofter Gorius excudendum curavit . Hominem praefert nudum , altero genu arae infidentem , qui tanquam pro focus dimicet , gladium ftringit , et iactat coronam : dixiffes Dianae Erycinae Sacerdotem repraefentare , qui quotannis periculo mortis infulam fibi confervabat . Atrox quidem ritus ; quem peculiariter Differtatione , cui titulus *de Rege Nemorenfi* dilucidatum habes in Volumine III. Musei Etrufci , ubi imaginem huic fimilem fpectare poteris pag. 130. Mithriaci quoque per haec tertricularum rerum umbratiliam ad coronam perveniebant : quae quidem initia , atque expiationes , Magiae maxime adfines , faepiffime ufurpatae cernuntur in hisce Gemmis , quas communi vocabulo *Magicas* adpellamus . Ara lato pede conftat , tenui ftipite , rurfumque latiore difco : quales propemodum erant , quibus ad ignem confervandum inter facra ministeria utebantur , plerumque aerea , quae calori refifterent ; cuiufmodi candelabra nuncupamus . Vix enim puto ad id officium marmoreas aras adhibitas , quas nunquam ufulatas vidimus : nec earum materia diu calorem pertuliffet .


IX. Adstat sacro militi tortuosus serpens, scientiae magicae praecipuum columen, atque ornamentum: cuius varias significationes luculentius alibi profecuti sumus. Capite leonino instructus est, illoque radiato, qualis unus ex Decanis effingitur. Ex alio latere aspis ille Aegyptiacus, qui in superiore Gemma posteriora Gryphi defendat, instructus est accipitrinis pennis, per quas divinae mentis agilitatem Veteres significabant. Hos inter custodes miles ille constitutus est, illique prospera omnia repromittunt. Quid ni? Fortunae rota astro insignita humi statuta est; ut praeter honoratissimum apud Inferos locum, quod sibi initiati futurum augurabantur, opes etiam, dum inter mortales agerent, non deessent.

X. Alterum huiusmodi Gemmae adspectum obtinent arcani de more characteres, qui nullum omnino sonum reddunt; unde certo conligimus nihil omnino significasse hanc scripturam, quae nec pronuciari quidem tunc potuit; in cuius indagine ipsa etiam haruspicina magis effrons, ac temeraria acumen retundit; ut ingenue fatendum sit nullo saeculorum beneficio significationem expectari posse, quam nunquam habuerunt.



Ex aere, huius magnitudinis, exstat in Museo Gorio.

N O X
D I O N Y S I A C A
D I S S E R T A T I O VIII.
IOANNIS BAPT. PASSERĪ
NOBILIS EVGVBINI
I. C. ET VICAR. PISAVRENSIS



J.V. Sc.

Ex Ectypo Musei Paseriani

NOX DIONYSIACA

DISSERTATIO VIII.

AD VIRVM NOBILISSIMVM ET PRAESTANTISSIMVM

IGNATIVM MARIAM COMVM
PATRICIVM FLORENTINVM
- ET NEAPOLITANVM

INTER antiqua Monumenta, quae summo tum studio, tum labore conquiruntur, et inlustrantur aetate hac nostra, Antiquariae scientiae cupidissima; illa profecto maximo in pretio habenda sunt, in quibus disparata symbola, atque ex diversis rerum classibus, una simul copulata observantur. Quae enim disiuncta Eruditorum ingenium mire torquebant, ubi in unum coalescant, magis, magisque doctorum hominum solertiam excitant, ut, qua mente, quoque consilio iuncta ab Antiquis sint, adsequantur.

II. Id mihi nuper observare contigit, IGNATI MARIA COME DOCTISSIME, in pulcherrima Gemma stellifera, in qua

qua DEAE NOCTIS simulacrum, adstante infra Faunisco, observavi. Vtraque quidem, si disiunctim considerentur, inlustrationem exoptarent; at simul copulata imaginem, quamdam altioris disciplinae nobis ob oculos obiectant: quam indagandam peculiari Dissertatione mihi proposui, eamque Tibi, VIR ORNATISSIME, offerendam simul statui, veluti devinctissimae observantiae in Te meae testimonium. Poteramne in insigni hoc Gemmarum Thesauro, in quo Amicorum fere omnium nomina memorantur, eorum praesertim, qui in hisce studiis clarescunt, IGNATIVM MARIAM COMVM, Italicarum Athenarum inlustre ornamentum, divinarumque, ac simul humanarum litterarum consultissimum; mihi que diuturna benevolentia coniunctissimum, praetermittere, quin aliquam huius Operis partem sibi dicatam reportaret? Sed sculpturam longe artificiosissimam intenta acie per partes percurramus.

III. Vides in ea Noctis imaginem ex alto prolapsam, quae submissa face ad ima descendit. Hanc motus directionem duo praecipue monstrant; palla hinc inde circa pedes fluitans, subiectoque aëre inflata: quod minime eveniret, si ex imo Dea illa in altum tolleretur. Vides peplum praeterea superne inflatum, atque exundans, laciniis vento luxuriantibus, quod pariter descensum indicat. Quae mihi observanti, Virgilianum illud in mentem rediit, Aeneid. Lib. VI. vers. 639.

Nox ruit, Aenea; nos flendo ducimus horas:

quo eius gravitas, atque pondus significatur. Et Aeneid. Lib. VIII. vers. 369.

Nox ruit, et fuscis tellurem amplectitur alis:

et Aeneid. II. vers. 250.

Vertitur interea caelum, et ruit Oceano Nox.

Facem vero submittit ; quo gestu defectum luminis significat : quod mire expressit Orpheus in eius Hymno :

Quae lucem emittis ad inferna .

Quamquam enim ministerium lucis Diæ tantum, non vero Nocti tribuatur; quum, ut ait Macrobius, nihil aliud Nox fit, quam *umbra terrae*, ex opposita parte Soli : lucem tamen ad inferna demittere dicitur, hoc est Soli se se contraponere, atque interposito terrae spatio occultare. Intra vero spatiosissimi veli circuitum, ex quo ipsa *Circularis*; hoc est in gyrum revoluta; ab eodem Orpheo vocitatur, stellæ plures observantur; ex quo etiam *astris lucens* dicitur in eodem Hymno. Ex his vero ipsum Noctis peplum conspersum dixit idem Poëta in Hymno astrorum :

*Inlustrantia semper Noctis tenebrosum peplum;
Splendoribus relucetia; —————*

nam eiusdem Noctis sobolem astra esse tradidit :

Astra caelestia Noctis cara proles nigrae.

IV. Quod vero stellae quaterno numero, nec maiore, minoreve, signatae sint, atque in ipso pepli gyro inclusae, casui referrem, nisi prompta occurreret ratio cur totidem esse voluerit scitissimus Artifex : ad significandum nempe totum Noctis spatium in quatuor vigiliis divisum, singulis vigiliis ternas horas continentibus, ut liquet ex Cenforino de Die Nat. Cap. 23. *Noctem quadripartito dividebant, idque testatur similitudo militaris, ubi dicitur vigilia prima, item secunda, et tertia, et quarta.*

V. Lunam vero in fronte gerit, tanquam peculiare sui ornamentum ; unde Nox Lunam tenere dicitur , Aeneid. Lib. III. vers. 587.

Et Lunam in nimbo Nox intempesta tenebat .

Divino enim testimonio Lunam creatam intelligimus , *ut praecesset Nocti* . In hoc vero eiusdem Noctis simulacrum a Dianae , seu Lunae imagine differt ; quod ipsa tanquam lucis auctrix , unde modo *Lucifera* , quandoque *Lucina* , faepe quoque *Noctiluca* , nuncupatur , facem adtollit . Hanc vero quum deprimit , ipsam Noctem repraesentare intelligimus , Luna adiecta , veluti praecipuo sui adcessorio .

VI. Nocti maximus honos adtributus olim fuit , ut frequenti Veterum testimonio manifestum est ; unde habita illi peculiaria sacrificia , quod ex citato Orphei Hymno demonstratur . Opitulatur Horatii auctoritas Lib. III. Ode 28.

Dicetur merita Nox quoque naenia .

Et Ovidius Fastor. Lib. I. vers. 455.

*Nocte Deae Nocti cristatus ceditur ales ;
Quod tepidum vigili provocet ore diem .*

Et Virgilius Lib. VI. vers. 250.

*Aeneas matri Eumenidum , magnaevae Sorori
Ense ferit , sterilemque tibi , Proserpina , vaccam .*

Adtamen inter Deos Inferos habitata est , et quae cretum habitaret , ut liquet ex Euripide :

*Verenda , verenda Nox ,
Quae das somnia miseris mortalibus ;
Ex Erebo veni , cede , cede volucris :*

eique

eique tristissimam existisse progeniem recitat Hesiodus in Theogonia :

*Nox peperit Fatumque malum , Parcamque nigrantem ,
Et Mortem , et Somnum , diversaue Somnia natos ;
Hos peperit nulli Dea Nox coniuncta marito .*

Ex ea quoque *Morum* , *Aerumnam* , *Fraudem* , *Senectutem* , et *Contentionem* prognatas ipse refert . Quapropter , quum eius imago ominosa haberetur , atque funesta , Gemmam hanc inter ferales computarem : quae nempe eo consilio caelatae erant , ut mortuum sequerentur , illiusque reliquias in Sepulcro ornarent .

VII. Hoc vero comprobare videtur Fauni saltantis imago , priori imagini subiecta ; quae postremo , quum ad caeremonias Bacchicas adludat , ad illos potissimum pertinebat , qui Orgiis essent initiati . Quum enim putarent Ethnici expiationes illas summopere conducere ad animarum purgationem ; censuere , resolutis vinculis corporis , ad felicitatem consequendam , ut eorundem mysteriorum symbola cum mortuis conlocarentur . Huic disciplinae tribuendum est , quod tam frequenter ossuaria Bacchanalibus symbolis exornata inveniuntur . Vterque vero typus et Noctis , et Bacchici comitis aptissime simul conveniebat , ut in Gemma triste officium caelaretur , quum illa Somni , et Mortis parens haberetur ; Bacchus vero calamitatum infernarum reparator .

VIII. Alia quoque subest ratio , cur uterque typus coniunctus sit ; quod nempe Bacchanalia noctis licentiam quaerent , ex quo Paculla Minia Campana Bacchi Antistita , sacrum id ex diurno , nocturnum fecerat . Inde Senatus consultum latum , quo nocturna haec sacra tolle-

rentur, ut constat ex Livio Lib. XXXIX. cuius auctoritatem mirifice inlustravit celebratissima eiusdem Senatusconsulti aerea Tabula olim vestra, quae deinde Caesareo Museo indita inter praeclariora Cimelia connumeratur; et nunc illustri quoque Commentario Matthaei Aegyptii insignis, quem vestra Parthenope immaturo obitu extinctum adhuc cum Musis omnibus luget. Sed pestem illam ea lex compescuit, non adeo sustulit, quin inde etiam, florente Imperio, non pullularit: hinc Bacchus Georg. IV. *Nocturnus* nuncupatur:

Inter sacra Deam, nocturnique Orgia Bacchi.

Et Aeneid. IV. vers. 302.

—— *Vbi audito stimulant trieterica Baccho
Orgia, nocturnusque vocat clamore Cithaeron.*

Hinc a Nocte his sacris aptissima cognomen *Nyctelii* Baccho factum est a ΝΥΚΤΕΛΕΩ, quod significat *in nocte perficere*; pudenda quidem sacra, quae Noctis caecitas teget, et cuius etiam symbolum in hac Gemma sub ipso Noctis velo scitissime caelaretur.

IX. Vnum superest animadvertendum impar utriusque figurae mensura; nam Noctis imago adeo Faunum antecellit, ut quadruplo fere maior videatur: quod tamen, opticae rationi in hoc typo minime referendum est; quamquam non dubitem, Etruscos aliquando in picturis imagines illas, quas eminus exprimere voluerunt, oculorum experimentum sequutos, minores effecisse. At dispar ratio in sculpturis, in quibus nulla distantiae disparitas. Haec differentia uni Religioni debetur, ob quam Deos maiore statura constare, quam quae hominibus sit, atque suos

Heroas , voluerunt . Hinc Quirinus maior humana specie post mortem adparuit :

*Pulcher , et humana maior , trabeaque decorus
Romulus in media visus adesse via .*

Sic Creusa post mortem procerior Aeneae adparuit :

*Infelix simulacrum , atque ipsius umbra Creusae
Visa mihi ante oculos , et nota maior imago .*

Apud Tacitum quoque Anal. 11. legimus , Curtio Rufo *oblatam speciem muliebrem ultra modum humanum* . Sic apud Suetonium in Claudio Cap. 1. *Species barbarae mulieris , humana amplior , Drusum victorem tendere ultra , sermone Latino prohibuit* . Quin et simulacris marmoreis aliquando observamus coniunctos Genios adeo mole impares , ut nullam inter eorum corpora proportionem deprehendamus : quod eo consilio factum est , ut Numinum imagines longe augustiores , atque ampliores exprimerentur ; quod , quum mole non possent , comparatione praestiterunt : quo etiam respexit Homerus , ubi tantum vocis sonum Diis adtribuit , quae decem millibus mortalium aequipolleret . Itaque huius Gemmae Artifex , ut Noctis divinitatem , ac dignitatem in angusto spatio exprimeret , Bacchicum comitem illi adiecit adeo minoris staturae , ut vel primo obtutu illam humana conditione ampliorem esse sentiamus .

X. Quamvis autem Hesiodus , ut adnotavimus , tenebrosos Nocti parentes dederit ; Aristophanes tamen aliique eam Cupidinis filiam fuisse scripserunt : quam sententiam ita probavit Orpheus in Argonauticis vers. 14.

—— *geminum praestantem dicite Amorem
Obscurae Noctis patrem : dixere Phantem
Illum mortales ; quod primum adparuit ille .*

Ei currum tribuit Aratus in Astronomicis vers. 408. ut eam redderet gratiorem , ac reliquis Diis parem :

Nox antiqua suo curru convolvitur aram

Hunc circum : _____

et Libanius , ubi eam matrem prudentiae , ac sapientiae , multarumque curarum , et consiliorum praedicat , ex Sophocle , vocabulo a mente ducto , Ευφρόνην adpellavit . Hanc Christus Dominus noster statim ac in mundum venit factus homo sanctificavit Ortu suo felicissimo , et gloriosa Resurrectione ; eiusque exemplo primitivi Christi Fideles , ac deinde viri Deo fervientes vigiliis , orationibus , hymnis et Sacramentorum communione in sacris Synaxibus Deo sacrarunt , et gratissimam reddiderunt , quod et hodie apud nos fervatur . Pro omnibus Prudentium audiamus :

Nos festis trahimus per pia gaudia

Noctem conciliis , votaue prospera

Certatim vigili congerimus prece ;

Exstructoque agimus liba sacrario .

Pendent mobilibus lumina funibus ,

Quae suffixa micant per laquearia ,

Et de languidulis fota natalibus

Lucem perspicuo flamma iacit vitro .


Vale Musarum nostrarum singulare ornamentum : et nostra haec studia fovere ne desinas .

DE IOVE LVCETIO
D I S S E R T A T I O IX.

IOANNIS BAPT. PASSERI

NOBILIS EVGVBINI

I. C. ET VICAR. PISAVRENSIS



Inscal. Chalced. Mus. Victorii.

Inscal. Achatii ex Am. Verniace.

DE IOVE LV CETIO DISSERTATIO IX.

AD VIRVM CLARISSIMVM

D. SALVATOREM M. DE BLASIO
MONACHVM CASINENSEM

PHILOSOPH. MATHEM. AC THEOLOG. PROFESSOREM
BIBLIOTHECAE PANORMITANAE MONASTERII
S. MARTINI PRAEFECTVM

EIVSDEMQUE MVSEI CIMELIARCHAM
MERITISSIMVM



VALDE sanctum, iucundum, et suave inter eruditos Viros esse sinceræ amicitiae vinculum, praesertim si virtute auspice, et genialibus studiis suadentibus, feliciter ortum, atque inter eos excitatum fit; nemo dubio procul est; qui, aut neget, aut probe non intelligat. Suavissimum profecto, atque iucundissimum mihi plane contigit; BLASII DOCTISSIME, ut tecum amicitiae necessitudine frueret; summa vero voluptate plenum, quum

inter nos auspex fuerit amicissimus Gorius , qui mutuis benevolentiae officiis Te mihi , meque Tibi arctissime coniunxit . Tu quidem , ea qua polles doctrina , et eruditione cum sacra , tum profana , non solum probasti , sed et laudibus ornaſti meas ad Etruſcorum Antiquitates , et Linguam inluſtrandam lucubrationes : placuitque mirum in modum ſtudium meum in hoc Goriano Theſauro GEMMARVM ASTRIFERARVM enucleando , atque dilucidando . Ego pariter mira laetitia perfundor , quoties a Te audio ingentem comparatam Naturalium Rerum , ac praefertim peculiarium , totius Siciliae Regni ſupelleſtilem , imo theſaurum ; Teque cum his antiqua Numiſmata , Signa , Gemmas , et picta Vaſcula ſociaſſe , quae ad augendum Gorianum Muſeum Etruſcum ſumma cum humanitate , atque ex his non pauca a Te docte explicata , communicati . Hiſce etiam ſtudiorum deliciis , et amoenitatibus nuper initiaſti ornatiffimum Alumnium tuum D. Ioachimum de MONROY Mon. Caſ. qui ex Philoſophiae , Phyſicae , ac Geometriae adytis publice ſpecimen , et experimentum nuper exhibuit ; qui etiam exemplo tuo incenſus priſci aevi elegantis mirifice delectatur . Patere igitur , BLASI CLARISSIME , ut ad fovendam inſitam inter nos tam felicibus auſpiciis mutuae benevolentiae , et amicitiae coniunctionem , pauca haec tuo praeclaro nomine ornem in hoc Aſtrifero Syntagmate , ut me perpetuo tuum eſſe , ac fore tenui hac delibatione teſtifier ; praefertim quum mecum in Sociorum Columbariorum Florentinorum albo , eodem Gorio curante , ſis deſcriptus , et patriae tuae Academiae ſelectioris , atque exquisitoris eruditionis guſtus ſtudioſiſſimae magnum ſis columen , atque ornamentum . Quae heic proferuntur Gemmae , ut ita dicam *Auſpicales* , (nam Iovis LVCRETII benefica auſpicia ,

ut

ut Veteres credebant , complecti videntur) spectatu plane dignae sunt , peculiaribus etiam emblematis ornatae , quae Mythicam Historiam , ac Scientiam non parum inlustrant ; et quum multa iam in hoc Thesauro observata contingant , hisce paucis benignas aures tuas humanissime praebe.

I. Princeps Gemma , quae in fronte huius Diatribae proposita est , in celeberrimo Museo Victorio Romae existat ; quam Praeclarissimus eius parens FRANCISCUS VICTORIVS , Sacri Militaris Ordinis D. Stephani Papae , et Martyris Commendatarius Eques , in lucem protulit Cap. XIV. pag. 51. in erudita sua Dissertatione , in qua , veteribus Monumentis adlatis , egregie *Historiam Sanctorum Septem Dormientium* inlustravit . Perlubet eam ipsam , quam dedit , huiusce perelegantis Gemmae descriptionem , heic honoris causa , utpote adcuratissimam , adponere . *Homerus omnes homines , Deosque dormientes finxit , praeter Iovem ; non enim decebat rerum omnium moderatorem dormire . Ipsum Iovem , tamquam Diei , Noctisque rectorem , fortasse ab antiquo artifice expressum fuisse putamus in anulari chalcedonio , in quo idem Iupiter in solio sedens visitur , fulmen et hastam longam tenens ; pedibus innixus scabello , adstante Aquila . A dextris stat Apollo Phoebus , nudus , et radiata coma ; orbem dextera manu , ferulam sinistra gerens , quod est Diei symbolum . A sinistris Diana , scilicet femina velata , sustinens utraque manu velum crispatum , et aura leniter instutum , elatumque ad modum arcus supra caput ; et in reliqua area superiori , plures stellae comparent : signum , et quasi depicta imago nocturni luminis . Sed plura de his ad Mythologos , et descriptores imaginum Deorum gentium pertinent . Sed de stellis Noctem conlustrantibus , quod observat Lactantius Firmianus de Origine erroris Lib. II. Cap. v. ubi*

agit de cultu veri Dei , in Notis erudite exponit . De *Elementis* , et *Astris* , ait : *Cur autem excogitaverit illa Deus (nempe Astra) quis non intelligit ? Scilicet , ne Solis lumine decedente nimium caeca Nox tetris , atque horrentibus tenebris ingravesceret , noceretque viventibus .*

II. Altera Gemma , Achatii Chalcedon . insculpta , nunc primum prodit ex Cimeliis Nobilis Viri , et priscarum elegantiarum Cultoris ornatissimi , Friderici VERNACCIA , qui Cl. Gorio spectandam , et delineandam perhumaniter misit : plane dignam , quae in hoc Sidereo Opere locum haberet , ipsumque locupletaret . Ambae hae Gemmae argumentum fere simile continent ; Iovem nempe Beneficum in Concilio Deorum aliquot sedentem . At , quo magis prae emblematis ipsis aestimandae sunt , eo minus examen patiuntur ; quum omnibus vel leviter in scientia Antiquaria initiatis perspicuae sint .

III. Ne tamen penitus ieiuni pulcherrimas haec caelaturas transeamus , Artificum mentem perscrutantes , atque exponentes , observabimus in Gemma Victoriana Iovem sedentem superne nudum , inferne velatum ; qualem nobis describit Porphyrius apud Eusebium de Praeparat. Evang. Lib. III. Cap. 3. non dextra fulmen adtollentem , quae sceptrum sustinet , sed sinistra ; ex quo , sepositis Tonantii , et Fulguratoris officii , serenum se se , et placidum exhibet . In hunc fere modum expressum Iovem Caelestem observare est in Albana perinsigni marmorea Ara , a Cl. Gorio edita inter Donianas , quae olim in Villa Paoluccia , nunc Merlinia existat ; in qua praeter Iovis nativitatem , et educationem , ipsum Deorum Concilium , coram Iove in throno sedente , repraesentatur .

IV. Solis imagine , qui flagrum sinistra , orbem vero
dex-

dextra adtollit , haud dubium est hoc symbolo monstrari eius potestatem in terrestrem globum , iuxta illud Horatianum :

Phoebe , terrarum potens , et Diana .

Inde etiam a sinistris Iovis conspicua est Dea , peculiari quodam ornamento insignita , peplo nempe stellis circumquaque distincto ; ex quo coniecimus non Lunam , sed Deam Noctem referre , quae et ipsa lunaribus cornibus , tanquam praecipuo suo symbolo , frontem ornat : sicut e contra , imagine Solis a dextris Iovis stantis , Dies representatur ; quod duplex Iovis sit potestas : nam ipse in primis LUCETIVS , atque DIESPITER , quod lucem et diem adferat , apud Veteres nuncupatur , ut docet Varro de Lingua Latina Lib. IV. *Diespiter dictus , id est Dicit Pater* : quod etiam confirmat Macrobius Saturnal. Lib. I. Cap. 15. et Servius in IX. Aeneid. vers. 570. *Lucetius , lingua Osca. Iupiter dictus a luce , quam praestare hominibus dicitur : ipse enim est nostra lingua Diespiter .*

V. Nox vero ab ipso non est aliena ; nam curis hominum fatigatus , somno quandoque indulgere a Poëtis fingitur : quapropter apud Nonnum Dionysiac. XXXI. ita Somnum adloquitur :

Soli mihi pennas vibra , et immotis in lectis

Maneat Iuppiter immotus , quantum tempus , iubes , Somnus .

VI. Altera Gemma Vernacciana Iovem exhibet pariter in throno pulcherrimo sedentem , qui dextra protensa pateram tenet ; sinistra vero sceptro innititur , atque ipsum potestatis suae insigne ostentat . Coram Iove adstat Ceres , si mavis etiam Abundantia , quae dextra copiae cornu tenet , sinistra vero aliquid ab Iove petere , sive accipere videtur ,

detur : et facile etiam Dea Tellus esse potest, Iovis beneficiis plena . Iuxta Cererem , sive Abundantiam , sive potius Tellurem Deam stat Apollo , nempe Sol , toto corpore nudus , radiato capite insignis , flagrum dextra gerens , dextram vero boni ominis gratia adtollens ; qualis etiam in Caesarum Nummis , praesertim Aureliani , occurrit . Praecipuum heic adspicis eidem tributum symbolum , nempe gallum cristatum , qui eius capiti insidet , qui quum lucis in ortu eius sit nuncius , ei perbelle convenit : de quo quum alibi huius symboli rationem profecuti simus , nunc ~~ea iterum~~ adferre omnino supervacaneum censeo . Galli laudes in Hymno sacro ad Matutinum , ut scis , enumerantur a divino Poëta Prudentio . Soli vero tribuitur , atque Mercurio , quod mirifice eius caloris vim declaret , ut luculenter observat Macrobius Saturnal. Lib. I. Cap. 3. et Solis reditum cantu nuntiet .

VII. Maximum quidem huius perelegantis Gemmae pretium faciunt tres Aquilae Iovem circumstantes , quotas vix in alia sculptura forte videre occurrit ; quod diu meditato , non alia ratione multiplicatas fuisse hasce Aquilas conieci , nisi forte ad triplex eiusdem alitis officium circa Iovem explicandum ; quod non aliter significari posse putavit Gemmarius Artifex , quam si Aquilas multiplicaret . Harum prima , quae ad auspicia pertinet , capiti Iovis imposita cernitur ; quae , ut narrat Lactantius Firmianus , *quum Iupiter ex insula Naxo contra Titanas proficisceretur , et sacrificium offerret in littore , ad eum advolarvit , et auspiciam fecit . Quin et sacra Gentium Historia illi quoque in capite consedissee refert , et regnum portendisse* . Hinc , quum Aquila inter aves omnium auspiciatissima haberetur , ut ex Livio , aliisque Scriptoribus , pluribus in locis constat ,

volatus eius maxime in auguriis observari coepit, ut est apud Callimachum Hymn. 1.

*Sed constituisti et avem omnium praestantissimam,
Nuntiam tuorum auguriorum.* _____

Quod autem victoriae Iovi fecisset augurium Aquila, tum apud Persas, aliasque Gentes, tum etiam apud Etruscos, et Romanos, Legionum evasit insigne auspiciatissimum; de quo multa Isidorus Orig. Lib. XVIII, Cap. 3. adeoque ea rite consecrata, et insignia multa religione, ac divinis honoribus culta sunt. Hanc Caesares, et Consules in sceptri eburnei vertice, dum solemni pompa triumphum agerent, vel procederent, gestare, eaque post obitum dimissa e rogo, apotheosi donari consueverunt.

VIII. Quae vero alis suspenfa, et volanti similis media inter ipsum Iovem, et Frugiferam Cererem conlocata est, alteri eius potestati, et officio, truculentiori quidem, quo tonat et fulminat, videtur inservire, et Iovi tela ministrare: hinc apud Claudianum de Bello Gildonico Carm. xv. vers. 467.

_____ *fulvusque Tonantis*
Armiger _____

Indulfit genio suo Gemmarius Opifex, qui huic Aquilae in aëre suspensae tribuit arrepta unguibus fulmina: quae in aliis caelaturis quandoque tenet ea Aquila, quae a Iovis pedes consistit. Quod igitur huic frequentius tribuitur ministerium, alteri ad pedes Iovis stantis tribuit fortasse Artifex, et raptum ab ea Ganymedem spectavit:

_____ *quem praepes ab Ida*
Sublimem pedibus rapuit Iovis armiger uncis;

ut

ut ait Virgilius Aeneid. V. vers. 254. quo quidem raptus Iovis amorem sibi Aquila conciliavit, adeo ut prope eum adfuit, iuxta illud Horatianum Lib. IV. Ode 3.


*Qualem ministrum fulminis alitem,
Cui Rex Deorum regnum in aves vagas
Permisit, expertus fidelem
Iupiter in Ganymede flavo.*

Facile etiam duabus Aquilis Scalptor mythicam Historiam expressit, quae docet, Iovem quum vellet regni sui metiri magnitudinem, duas Aquilas ab ortu et occasu dimisisse: quae quum pari celeritate volatum intendissent, sibi invicem occurrerunt in loco, quem incolunt Delphi; quae eleganter exposita est a Pindaro Pyth. Ode IV. quem Claudianus imitatus Carm. XVI. ita cecinit:

*Iupiter, ut perhibent, spatium quum discere vellet
Naturae, regni nescius ipse sui:
Armigeros utrimque duos aequalibus alis
Misit ab Eois; Occiduisque plagis.
Parnassus geminos fertur iunxisse volatus;
Contulit alternas Pythius axis aves.*


In exergo huius Gemmae spectatur Graeca epigrapha ΔΟΜΕΤΙΟC. quae, ni fallor, anularis Gemmae dominum et possessorem declarat; qui fuit DOMITIVS. Stat e loco I. cuius conmutationis complura exstant in Scaligeriano Indice ad Gruterianos lapides exempla. Praetermissum est o; nam scribendum fuerat ΔΟΜΕΤΙΟC; sed et huius scripturae non pauca exempla apud Veteres adnotat Cl. Corfinus in Dissert. II. pag. XXIII. praecleari sui Operis *de Notis Graecorum*, ut videre poteris.

D E G E M M A
T A B E R N A R I A
D I S S E R T A T I O X.
C O N V I V A L I S
I O A N N I S B A P T. P A S S E R I
N O B I L I S E V G V B I N I
I. C. ET VICAR. PISAVRENSIS



Ex Sarda a Cl. Jo Bapt. Donis delineata

D E G E M M A
 TABERNAM SALARIAM REFERENTE.
D I S S E R T A T I O X.
C O N V I V A L I S
 AD AMICVM OPTIMVM ET ORNATISSIMVM
IO. ANDREAM IOANNELLIVM
 SANCTAE TVDERTIS ECCLESIAE
 P R E S B Y T E R V M



VVM longo terrarum intervallo divulsis una
 convenire, ut Amici adsolent, in hisce fa-
 lutaribus otiis, si quae mihi sunt, denege-
 tur; quod unice datum est, convivali Dis-
 fertatiuncula te conveniam: neque enim
 prae fui argumento aliter eam inscribendam esse duxi. Ver-
 fatur enim circa veteris Gemmae examen, in qua nihil
 aliud deprehendo, quam integram falsamentarii tabernam,
 instrumentis omnibus probe instructam; quod quidem ar-
 gumentum omnino in hisce sculpturis singulare, ingenium
 nostrum ad illud inlustrandum excitavit.

I. Vides in ea stantem columnam claviculis exasperatam, e quorum summo bilanx aequis ponderibus librata suspensa pendet; hinc geminis piscibus, inde aequipondio conlocatis. Humi mensa constituta est, atque hinc hydria, inde scrinium obsignatum, cultello pone adligato. Stella fulcro inclusa columnae inminet, ut a longe tabernam designet. Opportune vero haec Gemmae imago, a Clarissimo Gorio, ex autographis Schedis Donianis depromta, mihi oblata est, qua sententiam meam confirmem, nullum fuisse humanae vitae officium, quod antiqui Sculptores in Gemmis non expresserint, ut cuiuscumque instituti homines symbola propriae artis in illis deligerent, et digito inclusa iactarent. At vereor, ne delicatulus quispiam nos haec putida perscrutantes, cum nausea excipiat, tanquam huius studii dignitati, si ad haec vilissima descendamus, detrahatur. At quisquis ille est, qui tam sumptuose de Antiquitatibus sentit, sedeat sine invidia inter unguentarias tabernas, nec nobis vitio vertat, si per urbem totam noctu diuque excurrentes, angulos omnes lustremus, ut non splendidam modo, sed et integram Antiquitatem oculis nostris subiiciamus.

II. Taberna, quam heic paupere cultu ornatam intuemur, ex illis est, quas ultimae plebis homines subito artificio per Fora exstruebant modicis tigillis, angustoque tabulato, ubicumque in porticibus apud columnam spatium vacaret, excitatis. Facillimum id, ac promptum aedificii genus, adeo antiquum fuit, ut tabernae nomen fecerit; eo quod e tabulis constaret, ut placet Festo in *Tabernaculum*, et Isidoro Lib. xv. Cap. 2. *Tabernae olim vocabantur aediculae parvae, et simplices in vicis, axibus, et tabulis clausae*. Columnis vero commendabantur, non modo ut firmiter confisterent,

verum etiam ut constanti indicio discernerentur. Quod praecipue de librariorum tabernis ad columnas constitutis adnotat Horatius Satyr. IV. Lib. I.

*Nulla taberna meos habeat, nec pila libellos,
Quae manus insudet vulgi.* —————

Et rursus de Arte Poëtica :

————— *Mediocribus esse Poëtis
Non Dii, non homines, non concessere columnae.*

Adeo vero huiusmodi tabernarum ubique insurgentium, licentia creverat sub Domitiano, ut lege lata illas tolli, ac subverti oportuerit; ut colligitur ex Martialis Epig. LX. Lib. VII.

*Abstulerat totam temerarius institor urbem,
Inque suo nullum limine limen erat.
Iussisti tennes, Germanice, crescere vicos;
Et modo quae fuerat semita, facta via est.
Nulla catenatis pila est praecincta lagenis,
Nec Praetor medio cogitur ire luto.
Stringitur in densa nec caeca novacula turba,
Occupat aut totas nigra popina vias.
Tonsor, caupo, coquus, lanius sua limina servant:
Nunc Roma est, nuper magna taberna fuit.*

Ex ipsis quoque inscriptis Marmoribus non levia argumenta ad propositum nostrum eruuntur, ut ex inscriptione Gruteriana pag. 646. num. 10. ubi memoratur OLEARIVS DE PORTICV PALLANTIANA: immo ex ipsis marmoreis columnis, quae in dies deturpatae cicatricibus eruuntur, eadem corruptela comprobatur; ut saepe miratus sim etiam in-

por-

porphyreticas defaevitum ; adeo ut , plebeculae petulantia
 ubique pergulas haec configentis indomiti marmoris indo-
 lem superaret . Columnae innititur bilanx , quam Scalptor
 Gemmarius Mechanicae potius , quam Opticae studiosus ,
 adeo ingentem fecit , ut omnem paene Tabernae ambitum
 occupare videatur . Huic tamen errato gratia referenda est ,
 eo quod sui mole in tantillo lapidis spatio rem alioqui
 apud Mechanicos ignotam exprimere diligentius exoptarit .

III. Instrumenta ad ponderum examen destinata , uti
 apud nos , ita apud Antiquos duo fuere , *statera* , et *bilanx* .
 Haec axem habet , seu centrum in medio iugo , seu longu-
 rio , quem in aequas partes divisum , ubi aequis ponderibus
 hinc inde premitur , in aequilibrio constare necesse est .
 Contra in *statera* , quae axem habet in extrema parte con-
 stitutum , cuius propterea aequilibrium constat ex propor-
 tione inter pondus , atque distantiam intercedente , ut quo
 magis aequipondium a centro recedit , eo magis gravitet , et
 maiori resistentiae respondeat ; quod etiam declarat Vitru-
 vius Lib . x . Cap . 8 . *Cum enim ansa propius caput , unde
 lancula pendet , ubi , ut centrum , est conlocata , et aequipon-
 dium in alteram partem scapi per puncta vagando , quo longius ,
 aut etiam ad extremum perducitur paullo , etiam pari pondere
 amplissimam pensonem parem perficit per scapi librationem , et
 examinationem longius a centro recedentem .*

IV. At bilanx haec expressa ex eo genere est , in qua
 non nisi aequa pondera in altera lancularum conlocata
 mercium gravitatem distinguébant . Ipsa vero pondera
 plerumque ex globulis marmoreis constabant , aliquando ae-
 reis superne , ac inferne depressis , et numero ponderis ob-
 signatis , quorum adspectum producit Gruterus pag . 221 .
 et Fabrettus Inscription . Cap . VII . pag . 523 . et sequen-
 tibus .

ribus. At hoc instrumenti genus multis subiacet incommodis, quum praesertim globuli illi marmorei libras tantummodo designarent, nec sine ingenti adparatu minutiorum globulorum, per quos librae partes designarentur, iusta ponderatio fieri poterat: et revera supersunt adhuc ex postremo hoc genere minuta Veterum pondera, quorum duo ex iisdem Schedis Donianis superne inscripta cum hac Gemma in fronte huius Dissertationis publicamus. Notae vero interdum vel magistratum designant, vel globuli, seu tesseræ pondus auctoritate publica comprobatum ostendunt.

V. In hoc vero singulari Monumento, novo quodam artificio adhibitis tantum maioris notae ponderibus, minutioribus vero praetermissis, iusto ponderi consultum est, addito in altero longurii brachio versatili aequipondio, quod produci, ac retrahi per puncta solet, ut minutias, quas graves globi non dabant, adamussim designaret. Quapropter dicendum est hanc ipsam, quam cernimus trutinam, ex primo, et secundo genere mixtam constare: quod diligentius notandum duximus, ut ex hisce Antiquitatum studiis non inanem voluptatem, sed utilitatis etiam ad mechanicas artes amplificandas non modicum adferri dignoscamus.

VI. Sub columna ingens mensa constituta est, qualem ad artis officia praestanda in omnibus tabernis observamus. Lagena ventrosa tertio mensa procerior ex uno latere adfurgit, in qua liquor aliquis mercimonio piscium respondens, puta oleum, seu liquamen e piscibus confectum, servabatur. Huc referuntur muria, et garum, quarum prima ex maceratis sale thynnis parabatur, ut constat ex eodem Martiale Lib. XIII. num. 103. *Muria*.

*Antipolitani fateor sum filia Thygni,
Essem si scombri non tibi missa forem.*

Liquamen vero e scombris adparatum, garum nuncupabatur, quod inter divitum lauticias, utpote quia carius constabat, censebatur, ut ex Scaligero Lib. II. constat, quorum liquaminum componendorum rationem habes apud Columellam Lib. XII. Cap. 6. Ex altero latere, ut omnibus instrumentis constaret taberna, vides scriniolum teres sera conclusum, in quo pecuniae quaestu partae coniciebantur. Inde culter dependet, quo salarius in proscindendis piscibus, aliisque falsamentis uteretur.

VII. Maximum vero huius sculpturae pretium facit stella columnae imposita, cuius auctoritate Gemma haec adcedit inter Astriferas: sed asterismus ita fasciola inclusus est, ut cognoscamus ad caelestia lumina minime pertinere; sed ad illa artificialia insignia, quae ex ferro, aut ligno fabrefacta, tabernis praeponebantur, ut una ab altera fecerneretur. Et revera ipsa fasciola, quae stellam claudit, ex altera parte ita columnae infixae est, ut ad instar versatilis cardinis totum stemma ad singulos ventorum motus circumvolueret. Consuevisse Antiquos haec insignia tabernis praefigere constans est Eruditorum opinio, praesertim vero Nardinii Romae veteris Lib. IV. Cap. 6. *Vt ex his venditorum, aut rerum venalium conditio descripta, depictaque melius e longinquo conspici posset.* At non ita obvia sunt veterum Scriptorum testimonia, quorum idoneo suffragio haec vulgaris sententia comprobetur. Neque enim ad rem faciunt illae tabernarum nuncupationes *ad signum Herculis, ad signum Victoriae*, et quotquot huiusmodi adduci possent, quae non apothecam, sed locum apothecae in-

indicant, quod insigni aliquo Simulacro publice constituto celebraretur : quemadmodum apud Gruterum, et Muratorium, atque etiam inter Donianas Inscriptiones antiquas, occurrunt nobis :

CAELATOR DE SACRA VIA
 SIGILLATOR DE VIA SACRA
 GENIARIUS AD AEDEM CASTORIS
 LANISTA AD ARAM FVRINARVM
 SAGARIUS POST AEDEM CASTORIS
 SOLIARIUS AB LVCO SEMELES
 VESTIARIUS DE VICO TVSCO

aliaque his similia ; neque adhuc in tota veteri Litographia mentio mihi aliqua occurrit Artificis alicuius, adiecto tabernae cognomine ab insignibus desumpto. Hoc certe caruit taberna illa libraria, quam, quum laudatus Martialis Lib. I. Ep. 3. fingillatim describeret, et veluti digito indicare vellet, nihil aliud quam locum significavit :

*Libertum docti Lucensis quaere Secundum
 Limina post Pacis, Palladiumque Forum.*

Scio dubitatum an Inscriptio Gruteriana pag. DCCCXII. num. 6. in hunc sensum trahi possit, in qua legitur :

M. OCTAVIUS PRIMIGENIVS
 ALIPILVS A TRITONE.

quam penultimam vocem, est, qui ALIPTES interpretetur, perinde ac si Officina, eiusque insigne Triton indicetur. At quia praeter lecturae ambiguitatem ipse Triton simulacrum aliquod inpositum indicare potuit, huic argumento ad propositum comprobandum minime fidendum est.

VIII. Vnicum testimonium ad hunc morem confirmandum suppeditant nobis, obvia tamen, ac frequentia, Figularum aposphragismata, in quibus peculiaris quaedam

dam insignia Officinarum excisa observantur: nempe corona, palma, equus decurrens, Deorum capita, Victoria, atque his similia, quorum exempla permulta existant apud Fabretum *Inscr. ant. domest. Cap. VII.* et Boldettium, de antiquis Christianorum Coemeteriis *Lib. II. Cap. 17.* quae quidem nihil aliud Eruditis important, quam stemmata Officinarum. Multa huiusmodi etiam in Lucernarum ima parte conspiciuntur, quae ab omnibus adhuc praetermissa, a nobis diligentissime adnotata sunt; praesertim in tertio nostrarum domesticarum Libro, qui iam sub praelo in lucem prodire properat. Signa quoque eiusdem indolis in vitreis Vasculis impressa saepe observantur; praesertim in infima eorum parte, ubi ad gratiam operi conciliandam minime conferebant; ut videre est apud Fabretum *Inscr. ant. Domest. Cap. VII. pag. 531.* in Museo Romano *Tom. II. Tab. x.* et Arrigonio in *Tabulis Tom. III.* Quod vero certo certius probat, haec parerga non oscitanter adiecta fuisse, sed ad operis distinctionem, et ad Artifices indicandos; illud profecto est, quod saepe saepius sine nomine auctoris signata spectantur, praesertim, in tegulis, in quibus non hercle ad ornatum, sed ad indicium inprimebantur. Quod ea de causa fieri solebat, quia ea symbola, ceteroquin in urbibus notissima, sine ulla Artificis inscriptione Officinam indicabant. Hoc tamen minime evenire poterat, nisi Officinis ipsis, aut Tabernis, quibus insignia illa omnibus conspicua praefixa, essent.

IX. Haec sunt, VIR AMANTISSIME, quae ad rem alioquin obscuram declarandam cumulare datum est. Si tamen contingat sobrietatem hanc meam accusari, gaudebo sane huiusmodi argumentum a me tam parce tentatum, prolixiori eruditione a Te, ceterisque doctis locupletari.

DE GEMMA ENCOLPIA

MONSTROSA

DISSERTATIO XI.

IOANNIS BAPT. PASSERĪ

NOBILIS EVGVBINI

I. C. ET VICAR. PISAVRENSIS


CXCV

GEMMA MAGICA



Helio tr.
CLV. I. B.

in Museo
Passer u



Insculpt. Sardaæ Musei Victorii

DE GEMMA ENCOLPIA

MONSTROSA

DISSERTATIO XI.

AD NOBILISSIMOS ATQVE EGREGIAE INDOLIS
ADOLESCENTES

HIERONYMVM. PETRVM ANTONIVM
ET ALOYSIVM DE IORDANIS

DOMINICI EQVITIS D. STEPHANI FILIOS
PATRICIOS PISAVRENSES

SI qua Gens inter Pifaurenſes , virtutum ſplen-
dore , et ſummorum Virorum dignitate , ac be-
neficiis in Rempublicam conlatis , Patriam hanc
noſtram ſibi obſtrinxit , et quam propterea ſu-
pra privatum modum ſpectare debeamus ; veſtra
profecto eſt , ORNATIſſIMI ADOLESCENTES , quae omni
aevo , et belli , et pacis univerſis ornamentis emicuit : in-
ter quae praeterire non poſſum LVCAM illum , a quo Ius
municipale Pifaurenſium non reformatum modo ; ſed et

tra-

traditum est : ut illum iure ac merito Solonem nostrum nuncupemus, et geminos illos nostrae libertatis adfertores, PROSPERVM, et IOANNEM FRANCISCVM, in quibus habuit Pisaurum Catores suos, quum libertas post ipsos steterit, nec ipsi post libertatem. Quod vero in genere vestro pluris potissimum etiam facio, illa est bonarum artium promovendarum ingens sollicitudo, quibus confovendis CAMILLVS, et IVLIVS Opera TORQVATI TASSI eorum alumni, ingentem illam Bibliothecam, tanquam peculiare vestrum patrimonium, compararunt; quorum vestigia secutus consanguineus vester HANNIBAL OLIVERIVS non imparem alteram, et suo, et amicorum commodo cumulavit, in qua potissimum locum obtinerent doctrinae suae monumenta, quae toto iam orbe celebrantur.

II. Quum vero nuper placuerit spectatissimo Parenti vestro insignem antiquam GEMMAM ASTRIFERAM mihi dono offerre, quae insignem hanc GORIANAM COLLECTIIONEM ornaret; ne tanti beneficii in me sui memoria interiret, nec penitus hoc Cimelio Bibliotheca vestra destituta esset, aeri incisum placuit quodammodo vobis restituere, non iam privatim delitescens, sed publici iuris factum, et nunquam interiturum, addito commentariolo, quo involutum eius typum aliqua ex parte explicarem.

III. Constat ex Heliotropio, quam Gemmam Sortilegi, Magi, Malefici, atque id genus homines, in amuletis concinnandis maxime probatam habebant. Pulcherrimis praeterea venis, et quamnitidissimis splendet, et praeter modum ceterarum eleganter, atque profundius incisa est. Auget praeterea eius pretium ipsa moles; quippe quae omnium quotquot haecenus ad manus habui, maxima est; quae etiam sui longitudine duas fere uncias aequat.

Prae-

• Praeterea iursum deorsum foramine pervia est , quo loro trajecto e collo suspenſa deferretur ; quae idcirco *Encolpia* a nobis dicta est . De Encolpiis hiſce occurret brevi in Gorianis SYMBOLIS pererudita Diſſertatio doctiſſimi Franciſci Antonii ZACHARIAE Soc. Ieſu Presbyteri , amici mei optimi ; qua de re totam hanc ſpartam ei lubenter ornandam relinquo . Ea in Tom. I. ſuperius edita eſt Tab. CXC.V.

IV. Eius typus idem fere eſt , qui in ceteris Abra-
xeis : ſpectrum triforme nobis refert , loricatum nempe
hominem , ſerpentinis pedibus horribiliter inſiſtentem : in
quo tamen illud ſingulare obſervatur , quod quum in ce-
teris fere omnibus caput monſtri gallinaceum ſit , in hoc
noſtro caninum obſervatur : ut huic ſcalpturae convenient
verba Tertulliani in Apologetico : *Biforme Numen ; quia
et leonino , et canino capite commixtos et a crure ſerpentes ,
et a planta , vel pede alites Deos .* Dicerem propterea
Anubin referre , niſi ipſa draconum crura ab eo Numine
aliena , commentum id inter ſphragiſmata Magorum ablega-
rent , quibus tanta fuit cum ſerpentibus amicitia , ut ſine
illis nihil unquam moliri viſi ſint . Ceterum Aegyptiis ea
forma adeo inviſa fuit , ut Typhonem exitioſiſſimum Nu-
men , et Diis ſuis adverſarium , iisdem ſerpentibus munitum
crediderint : ita enim illum nobis deſcribit Apollodorus
Biblioth. Lib. I. *Huic crurum tenuis immenſa humanae for-
mae magnitudo erat , ut omnium montium cacuminibus altior
eſſe videretur ; cuius etiam caput ſaepenumero aſtra pertinge-
bat . Sed et eiſdem manus altera ad Hesperum uſque , et al-
tera ad Orientem pertinebat : ex his centum draconum capita
eminebant . In cruribus maximas viperarum ſpiras ille conti-
nebat , quarum volumina ad verticem ipſum uſque protende-
bantur . Hunc vero infenſiſſimo odio proſequebantur Ae-
gyptii ,*

gyptii, quod praefertim ostendit Plutarchus in Libro de Ifide, et Osiride, et in altero adversus Stoicos. Graeci quoque eam formam a Diis alienam esse reputarunt, ut ad horrorem adversus Titanas conciliandum, illos finxerint serpentipedes. Ovidius Trist. IV. Eleg. 17. vers. 17.

*Sphingaque, et Harpyias, serpentipedesque Gigantas,
Centimanumque Gygen, semibovemque Virum.*

Et v. Faistorum vers. 37.

*Mille manus illis dedit, et pro cruribus angues:
Atque ait, in magnos arma movete Deos.*

V. At ii, qui prophylacticas haec sculpturas adinvennerunt, sive interim Gnostici fuerint, sive Basilidiani, sive Ophitae, sive potius Sortilegi, seu nebulones, atque circulatorum, longe aliis principiis usi sunt; nam illis, quod ceteris impium erat, augustissimum reputantes, totam dignitatem DEORVM AVERRUNCORVM, quos sibi confinxerunt, a serpentibus mutuati sunt; quod non uno in loco ostendit saepe citatus Epiphanius Haeresi 37. et Eusebius Lib. I. de Praepar. Evang. quos alibi retulimus. Credibile tamen est horum lapidum Artifices, ut eos, qui illis uterentur redderent invictos, atque constantes; illisque adversus hostium incursum, et subita infortunia praesentissimum praesidium compararent, terribiles haec Geniorum formas excogitasse, qui quo magis horribiliores essent, maiorem quoque vim obtinerent. Puto quoque adversus venena, qua pota, qua inflicta, comparata esse, uti de Achate cum figura Serpentarii incisa tradidit concivis vester Camillus Leonardus in *Speculo Lapidum* Lib. III. Cap. 5. vir oppido doctus, nisi quod plus aequo, uti non uno in loco
iam

iam monuimus , credulus , et harum traditionum studiosissimus .

VI. Quod vero saepe inuimus , ubi de hisce signis sermonem egimus , adeo inconstans fuit mens illorum , qui istis scalpendis operam navarunt suam ; ut vix unquam alteram invenire datum sit , quae cum altera conveniat ; nam unicuique potestas erat Deos Diis innectere , et illorum ornamenta confundere . Hinc ille Proteus Abraxas , omnium capax potestatum , et divinarum specierum . Hoc vero praecipue in nostro observatur , in quo canino capiti fulmen , et hasta Iovis , et Solis astrum cervici inminens ita insculptum est , ut propemodum hic noster ABRAXAS PANTHEVS dici posset ; nisi forte dubitarem haec symbola ad Planetas referenda esse , quorum peculiare concursus , ut saepe dictum est , in hisce scalpendis observabant .

VII. Quia vero praecipue e caelo petebant fidei suae testimonia , monstris hisce , atque insititiis divinitatibus astrologicas ambages admiscebant ; praesertim vero portentosos illos , atque potentissimos triginta sex Decanos , a quibus totum Caeli gyrum possideri praedicabant , decem gradibus unicuique assignatis ; de quibus multa erudite Salmasius de annis climactericis . Horum dignitatem ita effert Firmicus Lib. I. Cap. 4. *Mathef. Sunt autem infinitae potestates , et licentiae , et quae fata hominum potestatis suae auctoritate designent .* Rursus vero Lib. IV. Cap. 16. ubi singulorum barbara nomina recenset , multa de eorum vi , atque potentia iactat ; quos etiam , ut notat Chifletius in Gemmas Abraxae Cap. 11. sub prodigiosis , ac semper variis imaginibus figurabant . His igitur haec commenta triformium Numinum referenda esse puto : quae quia nulla certa ratione constabant ; quippe , quae non a scientia

aliqua, seu communi hominum usu definita erant, sed a privatorem hominum imaginatione potissimum procedebant.

VIII. Characteres, quibus haec Gemma undique signatur, aequae ac cetera omnia, in obscuro sunt; non enim characteres sunt gentis, sed scientiae, cui tota dignitas erat occultari. Percurri universam Polygraphiam, sed inuito labore: quamquam enim notae aliquae quorundam populorum litteris adsimulentur; adtamen si illorum operarum sensum tentarem, operam profecto omnem luderemus. Quum hae Gemmae circa secundum aerae Christianae saeculum, et fortasse deinceps, sculptae sint, nulla iam in Europa exoticarum scripturarum vestigia remanebant, omnia Latinis, et Graecis tantum obtinentibus. At plebeculam hisce nugis detinebant hi characteres (quos *Magicos* iure ac merito adpellaverimus) eosque in orbem invexerunt, quibus arcana carmina scriptis consignarent; nihil forte significantes, quum revera signa potius, quam characteres esse videantur, et quamdam adfinitatem habeant cum expedito illo, ac, ut ita dixerim, cursivo hieroglyphicorum genere, quo lignea simulacra Aegyptiis cadaveribus praefixa, signata aliquando adparent, quorum unum ex Museo Kircheriano Bonannius publicavit. An ne explicatio haec mea ipso amuleto obscurior est, ADOLESCENTES NOBILISSIMI? Sed fateor ingenuitatis meae esse, ut quae tuto declarari non possunt, et in quibus nulla rerum principia subsunt, unde declaratio expetatur, in suis ipsis tenebris relinquenda esse. Hoc unum tamen boni in hoc studio obtinemus, ut certa ab incertis, secernentes, studia nostra reddantur utiliora. Valete in spem Patriae, minime a Maioribus vestris clarissimis degeneres.

I E P O Θ P O N O Σ

S I V E

D E T H R O N O


S A C R O

D I S S E R T A T I O XII.

IOANNIS BAPT. PASSERI

NOBILIS EUGUBINI

I. C. ET VICAR. PISAVRENSIS



Inscal Chalcedonio ex Museo Bonarrotio

Ι Ε Ρ Ο Θ Ρ Ο Ν Ο Σ
 S I V E
DE THRONO SACRO
DISSERTATIO XII.
 AD PRAESVLEM AMPLISSIMVM
IOANNEM BOTTARIVM
 INTIMVM PONTIFICII SACELLI A SACRIS
 ET VATICANAE BIBLIOTHECAE PRAEFECTVM



VDVM animo meo proposueram, BOTTARI
 PRAESVL PRAECLARISIME, aliquo obser-
 vantiae in Te meae testimonio, eximiam
 hanc GEMMARVM ASTRIFERARVM Syll-
 ogen Gorianam ornare, quae grande nomen-
 tum omnibus Gemmis pretiosius, ac spectabilius praefe-
 ferret; ut dum antiqua aetas iactabunda Scalptorum pe-
 ritia superbit, contingat etiam aetatem hanc nostram
 summorum Virorum laude decorari. Mihi enim semper
 prae-

praecellens doctrina tua , atque altissimarum scientiarum peritia ob oculos obversatur : mihi singularis illa benignitas tua , qua bonarum artium Cultores complecteris ; atque illa principi Vrbi probatissima morum indoles , pietas , candor , integritas , prudentia , quibus vel summis Viris carus semper exististi , semper in admiratione fuerunt , atque summa commendatione dignae vitae sunt . Opportuna igitur , quae religiosissimae sapientiae tuae offerretur , visa est tractantiuncula DE THRONO SACRO ; cuius imaginem ex Museo Bonarrotio depromptam publicarat olim Musarum ornamentum Gorius , egregius Musei Florentini Explinator Tom. II. Tab. XCIII. num. 3. quamquam ingenti rerum copia distractus , et undique exuberante eruditionis fruge , hanc Gemmam intentatam praetermiserit . Quia vero Christianum symbolum continere mox ipse cognovit , eam ad hanc ipsam *Dactyliothecam nostram Christianam* exornandam feligimus ; sed , et propter astri insigne e re putavimus facturos , si illam in hac collectione produceremus . Est in hoc perraro monumento specimen aliquod veteris disciplinae , quod et tuae dignitati convenit , et ingenio tuo sublimi , ac perspicacissimo non repugnat ; quod ut commode a nobis inlustretur , quatuor praecipue confidenda veniunt , Inscriptio , Cathedra , Stella , et Siglae . Pro Lectorum commodo heic in fronte huiusce meae lucubrationis exhibetur eiusdem perrarae Gemmae imago . Age nunc singula brevibus de more observationibus percurramus .

II. Inscriptio perbrevis quidem est , sed multis (quod Tibi veterum primitivae Ecclesiae Monumentorum in Roma subterranea doctissimo Interpreti exploratissimum) re-ferta mysteriis , nempe IX T O . Hanc vero rectone , an inverso ordine legere debeamus , profecto non liquet : quae
diffi-

difficultas saepe in Gemmarum inscriptionibus nobis occurrit; omnes enim sculpturae, quae alicuius rei obsignandae gratia incisae sunt, contrario ordine in Gemma legi debent; rectum enim sensum non nisi in ectypa forma, in cuius gratiam caelatae erant, nobis obiiciunt. Contra Gemmae omnes, quae in usum telesmatum, et amuletorum exaratae erant, sicuti nullus earum in obsignando usus habebatur; ita ad formam prototypi legendae sunt: in quo saepe Pictores aberrarunt, qui sine detrimento Gemmas ipsas modo ad exemplar prototypi; aliquando etiam ectypum nobis delineata exhibuerunt, et inanibus propterea quaestionibus, ac speculationibus Eruditos defatigarunt. Haec vero difficultas potissimum occurrit in hac Gemma, quae in utrumque usum usurpari poterat: nam et significatione mysteriorum potuit adinstar Iyfanorum piae devotionis causa circumferri; simulque tanquam Gemma signatoria in anulis adhiberi. Si illam priori usui referamus, recta in prototypo legenda est; si vero posteriori, obverso ordine, ut in cera impressa legibus Graecae scripturae obtemperet.

III. Animadverti tamen adeo subtili ingenio nostrum id sphragisma sculptum fuisse, ut ex utraque parte si scripturam legas, sensus aptissimus inde educatur. Si a sinistra in dexteram procedamus, vox ΙΧΘ nulla quidem est; nam ex quatuor initialibus litteris coalescit, et singulae invocationem omnium augustissimam continent, nimirum:

ΙΗΣΟΥΣ . ΧΡΙΣΤΟΣ . ΥΙΟΣ . ΘΕΟΥ .

Iesus Christus Filius Dei; eundemque sensum, si ordo etiam pervertatur, aptissime refert: *Dei Filius Christus Iesus*. Haec autem adclamatione, et divino oraculo, nihil opportunius

reperiri pōterat ad Fidem Catholicam adferendam, praefertim ex quo Arrianorum erroribus divexata est: per quos Christus, non Dei Filius, sed Creatura, adferebatur, Apostolo licet reclamante: *Non rapinam arbitratus est se esse aequalem Deo*. Quae verba mire declaravit D. Augustinus contra Maximinum Arrianum, scribens: *Non potest is, qui accepit, ei qui dedit esse inaequalis; quia et hoc accepit, ut aequalis. Nihil enim Patre minus habet ille, qui dicit; omnia quae habet Pater, mea sunt.*

IV. Occurrit praeterea, fortasse nec inverisimilis, altera huius lemmatis significatio; si a dextera in sinistram legatur. Reddit enim vocem ΘΥΧΙ, quae quidem nihili est, si vim litterarum expendas; si vero eiusdem sonum, idem fere auribus reddit ac ΤΥΧΗ, *Fortuna*, quae ad dignitatem Sacri Throni manifestissime adludit; et quidem haud illa indigitatur *Fortuna*, quam iuxta Iuvenalem:

Nos facimus, Fortuna, Deam, Caeloque locamus;

sed quam prudentes Christiani ad divinam Providentiam, qua omnium fata temperantur, retulere, ut innuit Lactantius *de falsa sapientia* Lib. III. Video praeterea aliquando Christianos ab hoc nomine non abhorruisse; ex quo scimus simulacrum *Fortunae Urbis* Constantinopoli existisse, cuius mentio a nobis facta est in Notis ad antiquas Lucernas Lib. I: nihilque ipsis ad eorum sensum haec vox importabat, quam *Tutelam*, seu *Custodiam*: quam significationem si excipiamus, convenientissime de SACRA SEDE, in qua Antistes sedebant, usurpari poterat: quum eam dignitatem populus suspiceret, atque veneraretur, quod ex ea communis custodia; et Dominici Gregis fortuna promanaret.

V. At utraque lectio commode retineri potest, quum exemplis longe perspicuis sciamus consuevisse Christianos vel ad arcanam disciplinam observandam, vel ad Ethnicorum invidiam eludendam, amphibologicis symbolis, et inscriptionibus suppellectilem suam ornare; quo consilio saepe saepius Piscem pro Iesu Christi imagine usurparunt, ut notavit doctissimus Boldettius de sacris Coemeteriis Lib. I. Cap. 33. et nuper peculiari Dissertatione adlatis compluribus Christianis Monumentis Vir Eruditissimus D. Anselmus Costadonius luculentius observavit; quae edita est inter Calogeriana scientifica Opuscula Tom. XLI. Quod vero ad propositum nostrum confirmandum mire conducit, est ipsa inscriptio ΙΧΘΥΣ, ab ipsis priscis Christi Fidelibus usurpata: quae quidem obvio sensu ipsum piscem notat; mystice vero, resolutis litteris in totidem initiales, illum eundem sensum reddit, ac inscriptiuncula haec nostra, nempe

ΙΗΣΟΥΣ . ΧΡΙΣΤΟΣ . ΘΕΟΥ . ΥΙΟΣ . ΣΩΤΗΡ .

IESVS CHRISTVS DEI FILIVS SALVATOR .

VI. Quum igitur divina, ac venerabilis haec Inscrip-
tio ad mysteria Christiana pertineat, minime dubitandum
est, typum etiam Cathedrae in Gemma expressum ad eos-
dem Christianos esse referendum. Est vero symbolum Ec-
clesiasticae praeeminentiae: ex quo facile subspicamur,
Gemmam hanc ad Episcopalem anulum ornandum deser-
visse. Nulli vero dubium est a primis usque temporibus
sacros Antistites singulari, celsaque sede in Ecclesia fuisse
decoratos, qua inter sacra mysteria peragenda uterentur.
Hinc inter Constitutiones, quae vulgo Divo Clementi tri-
buuntur, constitutum legitur: *Episcopum praesidere debere
in loco eminenti, ut tanquam vigilantissimus Pastor oves suas*

respiciat. Hinc Divi Petri Cathedra, utique iam tunc sumtuosa, et operoso artificio, atque eburneis parergis exornata, in sacris, ut fert constantissima opinio, adhibita, adhuc conspicitur, atque omnium Fidelium cultu impensissime in Vaticanam Basilicam colitur. Superest adhuc quoque Pisis marmorea, quae D. Stephani Papae et Martyris sanguine consecrata est Cathedra: cui non dissimiles Romae, et in aede D. Marci, Clementis, et Caeciliae adhuc observantur. Alteram ex his tu ipse, PRAESVL SAPIENTISSIME, nuper latentem detexisti in Basilica Sanctae Mariae Transiberim, quam etiam eruditis observationibus illustrasti Tom. II. Sac. Coemeterial. Sculpturarum, et Picturarum pag. 68. et 69. qua etiam Diatribam hanc in fine ornata, a Gorio nostro rogatus, humanissime voluisti. Fortasse et antiquiores sunt Sedes, quae in sacris Cryptis ruditer ex topheo excavatae, paupere quidem cultu, atque eius temporis calamitatibus respondente; sed perenni veteris disciplinae testimonio efformatae, occurrunt. Has inter eam memorare licet, quam anno MDCCXVII. apud Massam Tudertium, in Crypta observavi. Est in ea Sacelli specimen, superstiti adhuc altari, excisis hinc inde fedilibus, quae inter eminentis artis artificii elatior thronus vivo lapide excisus. Marmoream quoque Sedem simplicissimi, sed utique antiqui operis, ad fores antiquissimae Ecclesiae relictam vidi dudum in agro Forosempronienfi, dum eius Urbis gererem praefecturam. Memoranda quoque est Pontificalis Sedes plane magnifica, atque operosissima, quae Ravennae in Basilica principe adhuc servatur, parergis sacris eburneis circumquaque ornata; quamvis ex his aliqua fato quodam translata alio fuerint; cuius, ut probe nosti, ectypa duo e gypso, ex archetypis ducta, servat

Gorius noster in suo Museo . Horum alterum exhibet Beatam Virginem Mariam , Bethleem cum Sponso suo Iosepho , ut ibi profiteretur , proficiscentem , a fello vectam , utero valde tumido praegnantem ; non vero *in Aegyptum fugientem , abscondito sub veste sua puero Iesu* , ut perperam , et inepte quidam edito nuper Florentiae opusculo scripsit , qui etiam sacra haec parerga , et ornamenta *Diptycha* adpellavit , et Sedi *Exarcharum* adsignavit , quum Sedis Archiepiscoporum Ravennatum propria fuerint : alterum vero abs Te editum , atque eruditis observationibus inlustratum est in Vol. II. praelaudati tui egregii Operis pag. xv. in quo Iesus Christus in Canae Galileae nuptiis aquam in vinum convertens exhibetur ; quae quidem Archiepiscopalis Cathedra a Clarissimo P. Abbate Bacchinio in Adpendice ad Pontificale Agnelli Ravennatis primum in lucem edita , mox repetita in Volumine II. Muratoriano Scriptor. Rer. Ital. pag. 215. hifce emblematis destituta adhuc cernitur , quae filuit editor ille supra memoratus .

VII. Sed Cathedras omnes ad Ecclesiam Dei tuendam , et inlustrandam antecellit marmorea Sedes Hippolythaea , e Martyrum Cryptis effossa , prope Ecclesiam Sancti Laurentii extra muros , in Agro Verano , quae in Vaticanam Bibliothecam , cuius Praefecturam geris , BOTTARI DOCTISSIME , inlata est , ubi hodie conspicitur : in qua explicanda (nam Cycli Paschalis functiones continet) insignium Chronologorum ingenia editis Voluminibus summa cum laude , defudarunt ; inter quos eminent Praeful celeberrimus Franciscus Blanchinius , qui eiusdem Sedis imaginem una cum S. Hippolytho in ea sedente , utroque etiam litterato latere aereis Tabulis inciso , exhibuit in Tomo II. Anastasii Bibliothecarii Sect. xv. ubi de Sancto

Victore Papa pag. 159. et 160. et partes eius singulas explicavit in Differtatione de Cyclo S. Hippolythi, edita in Libro de Kalendario, et Cyclo Caesaris. Cum hoc insigni documento, tum exemplo quoque nostrae Christianae Gemmae habemus Episcopales Cathedras litteratas, quae nimirum inscriptis litteris Fideles erudiebant, atque in Fide Catholicae Ecclesiae solidabant. In caelesti Beati Petri confessione *Tu es Christus Filius Dei vivi* (quam etiam exprimit haec ipsa eximia Gemma) fundata est Ecclesia Dei, ipsâque eius Sedes primatum obtinuit: *O in nuncupatione novi nominis felix Ecclesiae fundamentum, dignaque aedificatione illius petra, quae infernas leges, et Tartari portas, et omnia mortis claustra dissolveret!* ut ait S. Hilarius in Matth. Cap. XVI.

VIII. Sed ad huius Gemmae symbolum inlustrandum, quae facile Constantini Magni antiquitatem non excedit, testimonia sufficiant quarti Ecclesiae saeculi, quibus abunde comprobatur Episcopaliū Sedium usus. Haec inter memorare iuvat D. Augustini auctoritatem Lib. XIX. de Civitate Dei Cap. 19. *Quid aliud interpretatur Episcopus nisi superinspector, maxime quum solio in Ecclesia editiore resideat, et ita cunctos respiciat, ut cunctorum oculi in ipsam respiciant.* Et ad Albinum: *Dicebam ego quibus poteram, qui nos in absidem honoratiores, et graviores exscenderant.* Et Epist. 203. ad Max. *Transit honor huius saeculi, transit ambitio. In futuro Christi iudicio, nec Absidiae gravatae, nec Cathedrae velatae.*

IX. Multis vero nominibus Episcopalem Sedem nuncupatam invenio. Nam aliquando *Absis*, ut constat ex D. Augustino superius laudato, nuncupata est a loco, in quo illa in Basilicis locabatur; nam proprie *ΑΨΙΣ* *arcum*

notat ; praecipue qui in pontibus ex una in alteram pilam inclinatur . Inde ob similitudinem adsinuatas illas concamerationes , quae post altaria , atque ad illorum latera disposita sunt , dictio illa translata fuit . Ex quo tamen in ipsis spatiis Episcoporum Sedes conlocari coeperunt , a loco Abfides dictae : quae etiam quia gradibus extolli consueverunt , *gradatae* dictae sunt . Quia vero Abfides istae in hemicyclum curvabantur , et superne conchis ornatae erant , quarum exempla in Picturis Coemeterialibus saepe observamus : hinc adpellatio *concharum* ad haec spatia translata est , ut constat ex D. Paulino Epist. 12. ad Sever. *Quum duabus dextra, laevaque conchulis intra spatiosum sui ambitum absis sinuata laxetur . Tribuna* quoque aliquando adpellatur ; sed eo nomine locus Sedis ad instar Tribunalis constitutae potius , quam ipsum Tribunal , notatur . *Cathedra* dicta a ΚΑΤΟΣ *Sedes* , et ΕΔΡΑ *Sponda* , ac si dixeris *spondatam* Sedem . Hoc nomine Sedes ipsa materialis , in qua olim Apostolorum Princeps praesedit , et ipsa dignitas significatur . Hinc Ennodius in Apologet. memorat : *Nutricem Pontificii Cathedram* , pro suprema Sede Apostolica . *Faldistorium* barbara vox est , denotatque humilem Episcopi Sedem , qua utitur ubi ob maioris potestatis reverentiam fastigiata Sede prohibetur ; nam barbara dictio *falda* locum humilem denotat . Hinc faldae montium pro infimis earum partibus usurpantur . *Sellam* quoque adpellarunt Veteres , quod ad instar curulis facta esset . Hinc idem Ennodius loco citato : *Ecce nunc ad gestatoriam Sellam Apostolicae confessionis udae mittunt limina candidatos . Sedes* vero satis noto vocabulo communiter vocitatur in Pontificali , ac Ritualibus Episcoporum : quemadmodum et *Thronus* ; unde vox hybrida *intronizzare* , quam frequenter Scriptores Ecclesiastici adhibuerunt . X.

X. Inter huius nostri THRONI parerga encarpus observatur, quamquam usitatore ornamento velis ornari foret. Huiusmodi exemplum habetur in marmoreo fragmento apud Aringhium Lib. VI. Cap. 48. pag. 666. Romae subterraneae, quod inventum est in veteri Beatorum Martyrum Marcellini, et Petri Coemeterio, iuxta viam Lavicanam. Hinc D. Pacianus Epist. II. ad Symphor. *Sedem linteatam* memorat: et D. Augustinus dicta Epist. 203. *Cathedram velatam*. At haec quidem parerga, a Gentilium ornamentis ad sacras res translata sunt; nam ut externa mittam, in fictili Lipsanoteca e Coemeterio Calisti ad me nuper delata, huiusmodi encarpi observantur. In perraro quoque Pauli secundi nummo, in quo sacrum Consistorium expressum est, quem ego Clarissimo Viro Sebastiano Paulio dono dedi, Pontificia Sedes huiusmodi sermo superne exornatur. Suppedaneum quoque, sive scabellum heic conspiciendum se se offert: etenim, quia fedile altius ab humo adtollebatur, ne pedibus pendulis standum esset, scamnus ille subponi consueverat: quod ad commoditatem simul, et dignitatem referebatur, de quo videndus Chimentellius.


XI. Discus in hac media Sede conlocatus, et insigni astro ornatus, patenam facile denotat, praecipue iuxta Graecorum ritum, qui reposita in ipsa patena Sacra Eucharistia stellulam auream cruce insignitam superponunt, ne velum, quo patenam involvunt, Corpus Christi contingat. Nos Latini huic officio pyxidem substituimus, quam non stellula, sed operculo, ipsoque crucigero, claudimus, et conopeo veli loco contegimus. Multiplex vero huius stellae significatio est, atque a divinis Scripturis expetita; nam et Christi revelationem, ope stellae Magis factam, indicat;

et

et ipsum Christum, qui Sol iustitiae, et Lux mundi nuncupatur, indigitat. Eidem quoque symbolo convenientissime aptatur superposita inscriptio, quam *Iesum Christum Dei Filium* significare indicavimus. In hac quidem coniectura nos confirmat antiqua formula, qua Paterae quaedam sacrae initiari solebant, ut apud praelaudatum Sebastianum Paulium de Patena argentea Foro Corneliensi §. VII. in qua *Iesus Christus Filius Dei* invocabatur: *Accipiet Chrisma, et discum signabit, dicens: Benedictus Iesus Christus Filius Dei, et Spiritus Sanctus*: eique formulae fortasse adludunt siglae, quas supra memoravimus. Conlocatur vero in Episcopali Sede ipsum Christi symbolum, ad indicandum eius numine Ecclesiam regi, cuius vicaria potestate Pastores nostri funguntur. Quapropter a D. Petro in Epist. prima idem Christus adpellatur Episcopus, et Pastor: *Eratis enim sicut oves errantes; sed conversi estis nunc ad Pastorem, et Episcopum animarum vestrarum*. Ad hanc sententiam fortasse respexit, qui Christi hieroglyphicum in hac ipsa Sede Pontificali conlocavit.

XII. Siglae ad utrumque THRONI latus scriptae, nunc nobis expendendae sunt, omnium certe difficillimae; quarum utraque ex tribus elementis compacta ita est ΠΑΤ, quamquam in secunda prior littera inversa Π quodammodo litteram C exprimat, iuxta consuetum Scalptorum errorem, qui plerumque litteras curvas per lineas rectas efformabant. Multa de illis dicenda forent, si hariolandi otium suppetere; nam ΤΠΑΡ *vigilantiam*, et *veram visionem* significat: ΤΠΑΡΕΙΣ *substantiam*, et *vitam*: ΤΠΑΡΝΟΣ *gregem agnorum*, et mille his similia, quae convenientissime officio pastorali aptarentur; et, ut mea fert opinio, nullum monitum, nullumque documentum in hisce notis, ac lem-

lemmatibus continetur ; sed nomen illius , in cuius gratiam Gemma sculpta est , ut ΠΑΤΛΟΣ . ΠΑΤΑΙΝΟΣ , atque alia huiuscemodi , in quorum indagine opera omnino luditur . Ceterum quum Gemma haec Christiana dubio procul sit , atque a vulgaribus hucusque observatis magnopere recedat , diligentiore studio inlustrari postulare ; digna profecto , quae eruditorum hominum , Tuoque in primis stylo , BOTTARI PRAESVL PRAESTANTISSIME , magis magisque expoliatur .



DE GEMMIS ASTRIFERIS


VETERVM CHRISTIANORVM

D I S S E R T A T I O XIII.

IOANNIS BAPT. PASSERI .

NOBILIS EVGVBINI

I. C. ET VICAR. PISAVRENSIS



J. V. Sc.

DE GEMMIS ASTRIFERIS

VETERVM CHRISTIANORVM

DISSERTATIO XIII.

AD VIRVM CLARISSIMVM

HANNIBALEM DE ABBATIBVS

OLIVERIVM

PATRICIVM PISAVRENSEM

NUPER quum Aedium tuarum, quas magnificentissime excitas, Vestibulum admirabundus contemplerer, antiquis Marmoribus, qua sculptis, qua scriptis, undequaque refertum, ac loricatum; nil aliud, nec aliter mihi visum est in ipso domus fastigio fore inscribendum, quam MVSIS. ET. HANNIBALI. Quis enim, quum limen fubeat, non revereatur integram Antiquitatis maiestatem, et quodammodo eius numen undique circumfusum; ut iam non

Vestibulum magis , quam Aduitum subire sibi videatur? Est in illo perpetuus Patriae nostrae adspēctus , ex omni aetate in unum coalescens , et in spem aeternitatis quodammodo consistens ; ubi videre datum est , quo vultu , qua lingua , quo caractere a remotissimis usque saeculis per singulas aetates ea usa sit : cuius pretiosiora Monumenta undique collecta in tuo illo Antiquitatum sacratio consistere voluisti ; ut paene incertum sit , Patriam ne nostram ingenio magis , quum illa illustras , an potius magnificentia , quum haec seruas , demerearis . Quapropter visum est mihi omnino haec studia Tibi fieri debere vectigalia , ut minime a nobis aliquid in lucem proferatur , quod aliqua saltem sui parte Tuo nomine non decoretur . Hoc igitur consilio ex hac GEMMARVM ASTRIFERARVM serie sinitur Tibi pars illa , quae de GEMMIS ASTRIFERIS CHRISTIANORVM est : in qua id mihi proposui , ut ex opere alioqui profano quantulacunque haec portio Religioni tribueretur ; quemadmodum Antiquis in usu fuit , ut ex mensa Diis darent ΜΙΚΡΟΝ ΚΡΕΑΣ ; eademque Tibi constituta , et nomine tuo praesignata , VIR NOBILISSIME , in lucem prodiret .

II. GEMMAS Christianorum ASTRIFERAS binas tantum ad hoc usque tempus observavi ; unam nempe , quam ultimo loco Collectionis nostrae in Tabula CC. primi Voluminis publicavimus , in qua sacro Monogrammati stellula praefixa est : alteram vero , quam nuper publicavit doctissimus e Praedicatorum Ordine Mamachus in secundo suo Antiquitatum Christianarum Libro pag. 187. in qua insuper columba expressa est palmae insidens , asterismo desuper signato ; quae quia grande ornamentum huic Collectioni nostrae adlatura erat , huic tractationi praefixa est . Ma-
time

xime vero referret indagare, qua aetate Cimelia ista caelata sint; in quibus venerandi Nominis symbolum per compendiaras notas expressum est: ut eiusdem symboli antiquitas, et significatio a Novatoribus adeo vexata, posset magis magisque comprobari. Sed quum aetatis indicia in hisce anulis nulla deprehendantur, ereptum nobis hoc beneficium dolemus. Quod tamen utilitatis ex illis capere possumus, circa duo praecipue versatur, anulorum nempe usum apud primaevos Christianos, et symbolorum explicationem.

III. Anulos in usu fuisse apud Fideles, iam inde ab Apostolorum aetate clarissime demonstratur auctoritate B. Iacobi in Epistola Catholica Cap. II. *Fratres mei, nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Iesu Christi gloriae. Etenim si introierit in conventum vestrum vir aureum anulum habens in veste candida; introierit autem et pauper in sordido habitu, et intendatis in eum, qui indutus est veste praeclara..... Nonne facti estis indices cogitationum iniquarum?* Hos vero Christianorum anulos trifariam commode dividemus. In pronubos, signatorios, atque hierarchicos; quorum usus multiplici Patrum testimonio comprobatur.

IV. Priorum igitur frequens mentio apud illos occurrit, praesertim apud Tertullianum in Apologet. Cap. VI. *Circa feminas vero illa Veterum instituta ceciderunt, quae modestiae, quae societati patrocinabantur; quum aurum nulla norat praeter unico digito, quem Sponsus oppignorasset, pronubo anulo. Quem rursus ab omni superstitionis nota vindicat, et Christianis feminis concedit in Libro de Idolol. Cap. XVI. Officio vero privatarum, et communium solemnitatum eas mundas esse opinor per semetipsas; quia neque vestitus virilis,*

lis, neque anulus, aut coniunctio maritalis de alicuius Idoli honore descendit. Multa insuper anuli pronubi mentio est apud Clementem Alexandrinum Paedag. Lib. III. Cap. 2. ubi praecipue Ethnicorum improbens superstitiosa ornamenta, haec praescribit: *Neque Idolorum sunt imprimendae facies, quibus vel solum adtendere prohibitum est; sed nec ensis, nec arcus iis, qui pacem prosequuntur, nec pocula iis, qui sunt moderati, et temperantes.*

V. Signatorii anuli a Christianis usitati meminit idem egregius Doctor loco citato: neque alia de causa feminis, quum nubarent, concessum tradidit, nisi ut ipso ad res domesticas signandas uterentur, quo curae familiari praepositas se esse cognoscerent: *Tribuit etiam feminis anulum aureum, non hercle ad ornatum; sed ad signandum ea, quae domi custodienda sunt, propter curam domesticam, quae illis incumbit. Si enim omnes a Paedagogo recte instituti essemus, supervacua essent signacula omnibus, ex aequo bonis servis, dominisque. Quapropter fancitum est in Lege Si quae sunt ff. famil. hercisc. -- Non licere uxori, mortuo viro, eius anulo signare, si se in aliam familiam transtulerit. Viris quoque Christianis signatorium anulum ibidem Clemens Alexandrinus adtribuit, et una simul quomodo gestandus sit insinuat: *Sed neque est a Viris anulus in articulo deferendus (hoc enim est muliebri) sed in parvo digito, atque adeo in extrema eius parte; ita enim erit manus maxime ad operandum expedita; neque facile excidet sigillum, quod maiori articuli ligamento custoditur.**

VI. Horum vero anulorum Christianorum exemplaria non pauca in Dactyliothecis adhuc adservantur cum inscriptionibus in pala, seu signatoria lamella incis; quandoque cum sacro Christi Monogrammate; decussatis palmulis, lau-

laureolis , et lemmatibus , quae indubitanter Christianam , redolent sanctitatem , quorum specimen subiicio :

VIVAS IN DEO
 ZESES IN CHRISTO
 SALV. DOMI. NOST. AVVG. LVC.
 VIVAS IN DEO . F.
 ZHC EC.

Sub qua postrema voce , quae a Graecis pro fausta praecatione VIVAS usurpata est , Christifideles , vel ob significationis analogiam , vel similitudinem soni , ipsum IESVM symbolice denotarunt , ut notavit Aringhius ad pag. 265. Romae Subterraneae. Quemadmodum per piscem , qui Graecis ΙΧΘΥΣ est , ob quamdam consonantiam vocis , quasi compendiarie IESVM CHRISTVM adumbrarunt : quapropter idem Clemens Alexandrinus infra adducendus , inter signa anulis insculpenda , piscem numeravit ; forte ad Christum e Iordanis lavacro emergentem adludens , atque ita Fideles suos praefigurans : de quibus haec Tertullianus de Baptismo Cap. 1. *Nos pisciculi secundum Iesum Christum , nostrum in aqua nascimur , nec aliter , quam in aqua manendo , salvi sumus .* Inter hos vero signatorios anulos Christianorum , potissimum locum sibi vindicat ille , quem protulit Fabretus Inscription. Cap. VII. num. XLVIII. pag. 536. in cuius propatulo titulo Daniel inter leones expressus est , cum epigraphe , ut videre est in fine huius Dissertationis , cuius illum ipsum coronidem esse voluimus : qui quia Solis , et Lunae asterismis insignitus est , a Syntagmate hoc nostro vel minimum abhorret .




VII. Inter praecipua vero Christianorum anulorum signa CRVX censebatur , ut colligimus ex Eusebio Demonstrat.

strat. Evangel. Lib. vi. Cap. 25. *Denique post omnia haec quis inspiciens, omnes quicumque in Christi fidem venerunt, salutari Signo pro anuli nota utentes, non merito obstupescat, si audiat, tanto ante ipsum Dominum dixisse: „ Et venient, „ et videbunt gloriam meam, et relinquam in eis Signum.* Crucem subsequuntur symbola alia, quae et prae laudatus Clemens Alexandrinus loco citato enunciat: *Sint vobis signacula, Columba, Piscis, vel Navis, quae celeri cursu a vento fertur; vel Lyra musica, qua usus est Polycrates, vel Ancora, quam insculpebat Seleucus: et si sit Piscans aliquis, meminerit Apostoli, et puerorum, qui ex aqua extrahuntur.* Quibus verbis mirifice explicantur Picturae quaedam Coemeteriales, in quibus Piscatores saepissime exhibentur, et Orpheus citharam pulsans, animalibus undequaque adcurrentibus. Miratur tamen, nec immerito, in Notis ad veteres Gemmas Pignorius heic praetermitti ab Eusebio inter cetera signa salutiferam Crucem, et Christi Domini Monogramma, quum haec ceteroquin obvia sint in anulis Coemeterialibus. Sed facilis est huius difficultatis solutio, si tempora distinguamus. Ego quidem vel nullus dubito etiam aetate Eusebii, qui sub Severo, et Antonino Principibus floruit, sacrum Christi Monogramma a Fidelibus iam adinventum, sanctissime intra Ecclesiae septa adhibitum, et Fidelium corporibus, qui in pace Christi obiissent, praesertim vero Martyribus, fuisse adsignatum; sed ea aetate nondum adeo divulgatum existisse puto, ut propalam circumferretur: cuius indicio non modo qui illud gestarent, proderentur; verum, et ceteri Fideles, et tota Ecclesia vexarentur. Quapropter instituerunt Christiani, ut per symbola quaedam analogae Fidelium oculis Christus obiceretur, quae simul et fallerent Infideles, et credentium pietatem excitarent,

cuiusmodi sunt, quae modo ex Clemente recitavimus, quibus similia non pauca ex Christianorum Monumentis conlecta referemus in Libro *de Lucernis Christianorum*. At ubi post Constantinum sacrum *Chresimon* triumphali honore exceptum est, et militaribus labaris, et galeis Principum addi coepit; tunc passim in anulis insculptum est, et publice ostentatum, ut ex Eusebio eorum temporum Scriptore supra demonstravimus.

VIII. Anulos hierarchicos omni aevo cognovit Ecclesia, quae ut mysticum coniugium inter ipsam, et Antistites suos denotaret, sive in signum auctoritatis, seu mavis custodiae sacrarum Rerum, et Sacramentorum, quae Episcopis consignantur, tanquam tutoribus, ac dispensatoribus, anulum, peculiari ritu benedictum, ipsis gestandum praescripsit; ut observare est non uno in loco in Caerimoniali Episcoporum. Hunc quidem in manus dexteræ indice, qui *silentiarius* adpellatur, gestare deberent; ita enim significare voluerunt antiquae Sanctiones secretum ab ipsis servandum esse, et divina altiora mysteria minime propaganda; ne qui magis curiosi, quam pii sunt, futilibus quaestionibus, unde haereses exortae sunt, Ecclesiam perturbent: ut colligitur ex Durando de Ritibus Ecclesiae Lib. XI. Cap. 9. Dum vero Episcopus Pontificales solemnes caeremonias exercet, anulum a silentiario digito in anularem ex vetere instituto transferre debet, ut probat idem Durandus loco citato. Quia vero anulos hosce, ut praemisimus, benedictos, a Fidelibus deosculari solitum est; usus apud Veteres inolevit, ut mole insignes conficerentur, et pompae sacrae magis apti, quam usui familiari, ut ita magis conspicui essent: cuiusmodi in Ecclesiae Urbevetanae Hierotheca adservatos vidi; quibus similes

unus, alterve in tuo, CLARISSIME OLIVERI, et alii non pauci in Eruditorum Museis ostenduntur, plerumque e sacris Coemeteriis extracti, qui quaternas uncias aliquando excedunt; quos quidem ab ingenti mole non in alium usum conflatos putaverim, quam quod in signum Hierarchicae dignitatis a sacris Antistitibus inter sacra gestarentur.

IX. Sed iam insculpta signa in adlato a nobis sacro anulo percurramus. Sacrum Christi Monogramma ex X, et P initialibus eiusdem sacri Nominis, si Graece scribatur, compactum est. Cur vero ex Graeca potius, quam Latina lingua coaluerit, disquirunt Eruditi. Sed ex hoc uno indicio eius antiquitas in Ecclesia deprehenditur. Quum enim illa primum in Oriente constiterit, ubi Graeca lingua potissimum frequentabatur; inductum est, ut per Graeca elementa venerandum hoc Symbolum conscriberetur; unde exceptum Ecclesia Latina religiose custodivit; sed placuit aliquando Fidelibus illud nonnihil immutare, ut ex Christianis Musei nostri Inscriptionibus, et Lucernis liquido constat; nam aliquando litterae P lineam transversam addiderunt, ut puram Crucem redderent in hanc formam . Quandoque etiam litteram P inversam descripserunt ad huius exemplar , quod mysterio non caret, ut in Notis ad easdem Lucernas aliquando manifestabimus. Sed ipsa quoque littera X, hasta nempe recta, et alia transversa non obscure reddunt ipsam Crucem, licet oblique dispositam: cui venerabili signo placuit aliquando alteram litteram X superponere; ex quo nexus coaluit litterae P. X. in hanc ipsam formam , ut in antiquo Coemeteriali Marmore apud nos custodito observatur: quam for-

formam ita ingeniose descripsit S. Paulinus Nolanus Episcopus in Natali XI. de S. Felice vers. 608.

*Ante tamen , quia res haec postulat , ipsius instar
Enarrabo Crucis , qualem et pictura biformem
Pingere consuevit , baculo vel stante bicornem ;
Vel per quinque tribus dispersam cornua virgis .*

Haec vero quinque , et tria cornua , hoc est octo radii , non aliter conflantur , quam si salutiferae Cruci ipsa X , nomen CHRISTI referens , adiiciatur .


X. Sed industria Fidelium aliquando hanc litteram X non ex lineis , sed ex duabus decussatis palmis composuit , ut elementum simul conflaret , et Martyrum symbolum exhiberet , ad imitationem illorum , qui a B. Ioanne in Apocalypsi describuntur : *Stantes ante thronum , et in conspectu Agni amitti stolis albis , et palmae in manibus eorum .* Vnde allegoria haec adeo in Ecclesia obtinuit , ut quum Acta Martyrum describerentur , haec formula adhiberi solet : *pervenisse ad palmam martyrii : quemadmodum enim iis , qui legitime certassent , palmae praemium tribuebatur ; ita par erat , ut Fidelibus , qui Fidei agonem consummassent , idem ornamentum largiretur : quapropter Divus Gregorius in Ezechielem ita locutus est : Quid per palmas , nisi praemia victoriae designantur ? ipsae quoque dari vincentibus solent ; unde de his quoque , qui in certamine martyrii antiquum hostem vicerunt , et iam victores in patria gaudebant , scriptum est : Et palmae in manibus eorum .*

XI. Corona sacro Monogrammati saepe saepius circumposita cernitur in iisdem Marmoribus , et Lucernis , qua indicatur , Christum ipsum Regem Martyrum , atque Antesignanum , mortem a Fidelibus suis pro suo nomine


constanter subeundam, primum omnium superasse, ac devicisse. Hoc vero coronae ornamentum eidem Monogrammati communius adtributum est; ex quo Christiani Principes militaribus signis illud praefixerunt, ut praesertim victoriae omen portenderet. Huius vero exemplar nitidissimum adfervamus in Lucerna, in qua labarum repraesentatur a militibus custoditum, in cuius vertice *Chresimon* laureae inclusum conspicitur, addito lemmate EN ΤΟΥΤΩ ΝΙΚΑ. IN HOC VINCE: quam Lucernam ex Museo meo delineatam vulgavit, et multis laudibus extulit Vir de Ecclesiastica Antiquitate adprime meritis, Dominicus Georgius in eruditissima *Dissertatione DE MONOGRAMMATE CHRISTI*, ubi ad illam inlustrandam, luculentissimum Eusebii locum ex eius *Historiae Lib. I. Cap. 23.* excipit, ita loquentis: *Quum iam, inquit, Sol ad medium Caelum adscendisset, die in pomeridianum tempus paululum inclinante, dixit, se signum Crucis, ex lucis splendore figuratum in ipso Caelo, Soli inminens, manifeste oculis adspexisse, inque eo inscriptionem consignatam, quae haec verba complectebatur: EN ΤΟΥΤΩ ΝΙΚΑ. IN HOC VINCE.* In eius vero Crucis memoriam instituit Constantinus, ut sacrum Monogramma, tanquam Romanae militiae potissimum signum in labaro esset; quod ita enarrat *Cap. xxxi. Hastile oblongum erat, erectumque auro undique obductum fuit; quod cornu habuit transversum, ad formam Crucis constructum: supra in fastigio eius Salvatoris nota inscripta, duobus solum expressa elementis, id est duobus primis litteris Graecis nominis Christi. Erat P in medio litterae X curiose, et subtiliter inserta, quae totum Christi Nomen perspicue significarunt.* Ex his tamen facile liquet coronam in Christianorum Monumentis non semper Martyrium praenotare, ex quo ad victoriam prae-

praefigurandam divino Nomini coniuncta est ; quum propterea in eorum Monumentis sepulcralibus , in quibus obvia est , nobis occurrit , professionem potius militarem , quam genus mortis significet , nisi alia signa concurrant , quae pro indubitato Martyrii indicio recepta sint ; ut communiter tradiderunt , qui arduum hoc argumentum diligenti labore pertractarunt .


XII. Quod adhuc viderim , Ecclesiasticae Antiquitatis Inlustratores nondum stellam inter Christianorum hieroglyphica recensuerunt ; quanquam multiplex ratio fua-deat , ut inter illa numeretur ; nam aliquando occurrit in Christianorum Epithaphiis , ut in hoc apud Fabretum Cap. VIII. num. 43.



et apud Muratorium pag. MCMII.



rurfus in Marmore Gruteriano pag. ML. num. 6. et accuratius ex Schedis Donianis :



Stella vero , five Solis asterismus , in Christianorum Sepulchris mirifice aptatur dormitioni Fidelium , per quam translati creduntur in illam civitatem , in qua iuxta Apocalypsum Cap. VII. *non esurient , neque sitient amplius , neque cadet super illos Sol .* Ipse vero Iesus Christus aptissime sub hieroglyphico Solis praefiguratur ; quia quum primum gloriam suam Discipulis manifestavit , *resplenduit facies eius sicut Sol :* et de ipso vaticinatus est David , quum cecinit : *In Sole posuit tabernaculum suum .* In multis quoque aliis divinae Scripturae locis sub hac speciosa allegoria nobis exhibetur , ex cuius beata visione *etiam Iusti fulgebunt sicut Sol* , ut ait Matthaeus , gloriam capitis sui participantem , qui *Sol iustitiae* nuncupatur . Forte etiam stella ista ad Magorum adorationem adducit , quae in plurimis Monumentis insculpta , insigni fidere exornatur ; quemadmodum et ab Iuvenco describitur Lib. I. de Evangelica Historia :

Ecce ,

*Ecce, die medio, stellam praecurrere cernunt
Sulcantem flammis auras, quae in culmine summo
Resistit; et Pueri lustrata habitacula monstrat.*

XIII. Quae supra de Christianorum signaculis dicta sunt, columbam inter hieroglyphica Christianorum indubitanter ad censent: immo inter illa facile obtinet principatum; nam Sancti Spiritus simulacrum, et imago habita est, ex quo ille sub Columbae specie descendit in Iordanem. Praeterea proponitur a Iesu Christo tanquam exemplar religiosae simplicitatis, ait enim: *Estote prudentes sicut Serpentes, et simplices sicut Columbae.* Matthaei 10. 16. Hinc inolevit apud Christianos, ut animae Fidelium solutae corpore sub specie columbarum figurarentur. Insigne, ut cetera omittam, huius instituti testimonium eruitur ex anaglypho ingentis marmorei Sarcophagi, qui Collectioni Marmorum Pifaurensum praefixus est, in quo Matrona orantis specie cum nata insculpta est: hinc inde vero columellis instant gemini Genioli, qui utriusque animam sub specie Columbae efformatam inter ulnas amplexantur. Iamdiu alteram partem huius Operis, ORNATISSIME HANNIBAL, litterarius orbis effusis votis exoptulat; omnium vero maxime Patria nostra, quae ingens gloriae incrementum adhuc experta, hoc amplius expectat, ut non modo veterum divitiarum supra ceteras opulentissima videatur, verum et ingeniorum, a quibus eae inlustrentur.


XIV. Quum igitur Columbae Fidelium imagines haberentur, usu receptum est, ut Apostoli, et tota quoque Ecclesia sub eadem imagine figuraretur. Itaque quum urgentibus Tyrannorum persecutionibus in antris delitesceret, illud frequenter usurpatum est ex Canticis Canticorum: *Columba*

mea in foraminibus petrae, in caverna macerie. Hoc vero manifestissime indicant palmae, quas Columbae vel unguibus praehensant, ut in hac Gemma; vel rostro continent, ut in mei Marmoris Coemeterialis fragmento, quod est inter Marmora Pisarenfis 162. Solebant praeterea Fideles Sacram Eucharistiam in Columbis quibusdam argenteis, seu aureis super Altaria pendentibus conservare, ut ex Baronio constat ad annum LVII. num. 152 Qui mos in aliquibus Galliae Ecclesiis adhuc obtinet, ut refert Macrius in voce *Ciborium*.

XV. In Titulis vero sepulcralibus, in quibus Columba frequentissime occurrit, aliquando symbolum *pacis* importat, in qua Fideles obierunt, ducta significatione a Genesios Cap. VIII. ubi Columba ex arca demissa iterum rediit *portans ramum oli-vae virentibus foliis in ore suo*: ex quo Noë sensit pacem terrarum orbi a Deo elargitam. Non obscure praeterea sub hoc signo ipsa animarum resurrectio indicatur; nam inclusa olim in arca, et veluti confepulta ad novam deinde, et laetiozem vitam educta est, quam illa rediens hominibus nunciavit. Quum propterea tam multiplex causa subesset, cur Columba Christianis conveniret, mirandum non est, adeo frequenter ab illis fuisse usurpatam in Ciboriis, in Lucernis, in Picturis, in Crucibus, in Cathedris Episcopalibus, praecipue vero in Titulis sepulcralibus, ut paene videatur ipsos Christianos id unum ornamentum ceteris omnibus praetulisse.

XVI. Dum haec excuderentur, peropportune Görus noster aereum Sigillum veterum Christianorum, et quidem ASTRIFERVM, Museo suo adiecit, Florentiae inventum ab eruditissimo Dominico Maria Mannio, quod ipsi cum alio Cimelio, quod optabat, conmutavit. Figuram praefert

soleae, vel crepida: finistri pedis: cuius in postica parte
 anulus ex aere erat, ut praeferri, et adtrectari posset, qui
 fractus ad nos pervenit.




In eo sculptae sunt duae Columbae ex adverbo stantes;
 earumque in medio vitis palmes cum uvis. Inminent dor-
 so earundem Columbarum sidera hinc inde disposita; quae
 dubio procul immortalitatem, et caelestem Iustorum pa-
 triam designant. Nam uvae cum botro, quia in unum
 ex multis acinis confluunt, Fidelium unitatem ex Divo
 Augustino designant, et divinorum Sacramentorum dispen-
 sationem, et communionem, mutuamque charitatem: quo
 symbolo in sacris sepulcralibus Monumentis, et in Coe-
 meterialibus Pi&uris nil frequentius: in quibus et doliola
 vino plena sculpta, ac pi&ta cernuntur, de quibus plura
 Cl. Boldettius Lib. I. Cap. xxxiii. pag. 164. et Celeber-
 rimus Praeful Bottarius. Idem Boldettius Lib. ii. Cap. xiv.
 pag. 506. et 507. adfert tria ex aere Sigilla Christiano-
 rum, quorum ex his alterum pedis soleam; alterum to-
 tum pedem exprimit cum epigraphe; sed sacris hisce sym-
 bolis carent: quare huic Goriano Sigillo in pretio ha-
 bendo et raritas adcredit, et mysteriorum, quae refert,
 peculiaris nota, ac designatio. Pede vero, quum supelle-
 ctilem Antiqui signarent, rerum cum mobilium, tum im-
 mobilium possessio declarabatur ex Lege, ut idem Boldet-
 tius ibidem observat, ad quem Lectorem mittimus.

XVII. Habes, VIR DOCTISSIME, quae Christianorum anulis, eorumque symbolis notanda mihi occurrerunt. Optandum sane foret, ut veterum Fidelium Gemmae, quae in Eruditorum Museis, praesertim Romae, vel fervantur, vel delitescunt, sedulo studio conquisitae in unum veluti corpus coalescerent, ad quod facili negotio recurrerent sacrasum Antiquitatum studiosi ad Ecclesiasticam Historiam confirmandam, atque exornandam; nam, ut bene nosti, haec sphragismata, quo minus artificio, et nitore commendantur, eo magis significatione iuvant, et ipsa simplicitate delectant. Te interim publico Patriae, et Litterarum bono valere cupio, ut maioribus semper ingenii tui monumentis cum editis, tum edendis aetas nostra ornatur.



DE SORTIBVS
CHRISTIANORVM
DISSERTATIO XIV.
IOANNIS BAPT. PASSERI
NOBILIS EUGUBINI
I. C. ET VICAR. PISAVRENSIS



Ex Sarda huius magnitudinis utraquae tessera

D E S O R T I B V S
 C H R I S T I A N O R V M
 D I S S E R T A T I O X I V .
 A D V I R V M C L A R I S S I M V M
F R A N C I S C V M V I C T O R I V M
 S A C . M I L I T . O R D . D . S T E P H A N I P P . E T M .
 E Q V I T E M C O M M E N D A T A R I V M
 S P L E N D I D I S S I M V M



LVSTRATIS iam paene omnium Gazis, evolutif-
 que veterum Gemmarum Thesauris , ut quot-
 quot ASTRIFERAE essent ad hunc adparatum
 amplificandum convenirent ; ac interim festi-
 nante fervido prelo , ut quantocius Collectio
 haec optatam lucem nancisceretur ; ecce , quod saepe no-
 bis accidit , veterum lapillorum Mercator ad nos divertit,
 qui Romam primum , dein Neapolim se concessurum di-
 citabat . Ingens apud illum scalptarum Gemmarum copia

cera-

ceratis thecis inclusa, quarum nonnullae artificio, plurimae eruditione praestabant. Omnes vero Proceri cuidam se promississe sponcione facta quum diceret, spem omnem mihi ademit, ut aliquas cariōres pretio mecum conmutaret; nam (quod hifce fycophantis solemne est) omnia magni faciendo, imperitiores quaerebat, vel nobis opulentiores, ut uberiores ex his quaestum sibi compararet.

Quod vero in ea collectione magis probaveram, fuere geminae tesseræ, seu mavis tabellae ex Sarda exscalptae, pares quidem; nisi quod altera superne corrupta, mediam fere sui partem amiserat. Earum forma fere quadrata erat, retusis tamen leniter angulis, geminisque superficiebus mediocriter turgescens. Vtraque in antica Crucem praeferebat, ea plane forma in veterum Christianorum Monumentis usitatissima, quae ex quatuor *gammadiis*, totidem Crucis latera componentibus constat; quae forma maxime probata est, quod salutiferi Signi imaginem infidelibus occultaret; Fidelibus vero supernae Trinitatis venerationem ingereret: qua littera Γ, quae Graecis ternarium notat, continetur. Hinc factum est, ut in Coemeterialium Picturarum vestibis ornamenta, et limbi ex hifce gammadiis constantes saepe inveniuntur, de quibus erudite differit Macrius. Cruci stella praefixa erat alteri integriori; cuius significationem in Christianorum Gemmis non uno in loco indicavimus.

Obversa tesserarum pars singulis litteris signata erat, hoc est B, et Φ, sed ab imperita, ut videbatur, manu exaratis; quippe ex rectis lineis constabant: quod Artificum incitiae retulimus, ubi de Magicis Gemmis mentionem fecimus, qui trepidante manu stylum circumducere ad lineas curvas exprimendas ignorabant. Rursus

altera ex hisce tabellis , seu mayis tesseris , superne geminis foraminibus pervia erat , per quae trajecto filo vel solitaria suspendi posset , vel una cum reliqua ferie , si quid valet coniectura mea , conligari . Qui unicam vidisset , putasset fortasse in usum sacri amuleti confectam esse , ut ad pectus suspenfa circumferretur ; quod stella Christi symbolum , et Crux salutaris suggerebat : occulta interim manente posterioris elementi potestate , per quod vel nomen Artificis , vel eius , qui Gemmam scalpendam curaverat , vel alicuius Martyris nomen , cui se se ille devovisset , vel aliqua divinarum Scripturarum sententia indicari facile poterat ; vel quidquid demum magis ingenio libuisset : vix enim est , quod de unica litterula certi proferri possit . Harum tesserarum schemata , utraque facie expressa , in fronte huiusce Dissertationis Eruditorum oculis spectanda proposuimus .

Quum vero non unicam esse animadvertissem , sed comparem habere , et , quod supra est , littera in altera variaret ; in mentem subiit tabellas hasce integro olim numero litteras Graecas aequasse , ideoque perforatas fuisse , ut traducto filo una simul adfervarentur in usum , in quem sculptae fuissent . Quis interim usus ille fuerit , nemo facile adfirmaverit . Quia vero in obscuris hisce rebus latissimus coniecturae campus patet ; haud inverisimile putavi , tesseras istas ad usum *Sortium* trahendarum fuisse concinnatas , idque ab ipsis Christianis factum : quod eo facilius mihi persuasum est , ex quo sciebam quaedam sortium genera ex tesseric litteratis constitisse . Ne enim , quoties inter duos pluresve fortiendum foret , nomina chartulis , seu membranis inscriberent , quae forma fraudibus patet ; et ne calculis , aut laterculis idem officium labo-

riose committeretur ; obvia satis erat forma fortiendi operae constantium , atque perennium tesserarum , e quibus illae commiscendae seligerentur , in quibus singulorum nominum initiales litterae expressae essent .

At difficultatem excitabat ipsa lapillorum materia , atque artificium operosum ; quod facile demonstrabat tabellas hasce non in unam , vel alteram opportunitatem repentinam fuisse exsculptas ; quin immo , quod insigni aliquo in loco , ubi omnibus usui essent , fervarentur . Quis enim privatus hanc seriem Gemmarum comparasset , Christianus praesertim , ut fortitionibus deservirent , quarum non adeo obvius usus foret ? Praeterea nec in publico loco , minusque in sacro suppellectilem hanc fervari potuisse dubitabam , publico omnium commodo expositam ; quem admodum pondera in ponderario , aut in tabernis profabant . Haec tamen tanti momenti apud me non sunt quominus a coniectura recedam , quoad usque probabilior occurrat ; nam et saepe in Ecclesiis habitus est recursus ad fortes , immo earum aliquae non nisi sortito Praefules eligebant . Quapropter quum frequens apud illas sortium usus esset , inverisimile non est stabilem hanc seriem tesserarum adparasse veteres Christianos inter cetera sacra instrumenta conservandam , in Aegypto praesertim , ubi horum lapidum scalpendorum artificium florebat , ac proinde minus sumtuosum . Efferbuit praeterea etiam Christianis saeculis spectaculorum voluptas , et praecipue Circensium : quod facile persuadet Praetores , ac Magistratus politioem hanc tesserarum formam scalpendam curasse , ut ex earum fortitione loca in carceribus designarentur ; praecipue cum Graecae litterae numerorum loco starent , ut quam quisque litteram ex urna duxisset , locum in spectaculis nancisceretur .

Quae

Quae quum mihi verosimilia visa sint , et multa hac occasione DE CHRISTIANORVM SORTIBVS prae oculis occurrerint ; statui circa id argumentum tractatiunculam scribere , qua novum hoc monumenti genus , ceteraque similia , si quando in lucem prodeant (prodire fortasse , et aliquando , quamquam nec artificio spectabiles , neque ullo intellectu commendatae , nulloque proinde in pretio habitae , pessum ierunt) lubentius excipiantur , et studiosius conferrentur : atque ille interim , ad cuius manus fortasse iam pervenerunt , intelligat , quanto in pretio habenda sint ea Cimelia , quae adhuc peregrinae hinc disputationi occasionem praebuerunt . Haec vero animo volentibus nobis facile occurristi , VICTORI PRAESTANTISSIME , quippe qui hereditario quodam iure profanas simul , atque sacras Antiquitates domi habes familiares . Est apud Te antiquorum Monumentorum eximia collectio , cuius ipse non modo amplificator , et Custos existis ; verum etiam luculentissimus Inlustrator : nec enim est in omni divinarum , humanarumque litterarum ambitu pars aliqua , in qua magnopere versatus non sis : illud vero , quo religionem simul , atque eruditionem Tibi devinxisti , cura est illa tua , qua tot veneranda veterum Christianorum Monumenta e sacris Coemeteriis effossa non modo providentissime excepisti ; sed et aereis tabulis confestim expressa , ac doctissimis tuis Notis inlustrata publici iuris esse curasti : quod quidem beneficium , quo sacras Antiquitates Tibi demereris , eo insignius est , quo sacra haec Cimelia miserrime in dies corrumpuntur ; ut paene e litteraria Republica sit VICTORIORVM FAMILIAM nobilissimam quam diutissime incolumem Romae esse , ut haec studia perpetuis subsidiis amplificentur .

In hoc vero argumento ordinem hunc servandum duximus .

S. I. De Sortium origine , auctoritate , et progressu , praesertim apud Hebraeos differimus , a quibus in Christianos illarum consuetudo profecta est .

S. II. Sortium genera , prout a Christianis considerantur , illarumque iustitiam perscrutamur , conditionesque in illis adhibendas .

S. III. Sortium praxim inquirimus , variaque instrumenta , quibus Antiqui ad id propositum usi sunt .

S. IV. Modos ducendarum Sortium investigamus .

S. V. De Sortibus Apostolicis tractamus .

S. I.

SORTem adpellamus rei dubiae iudicium fortuito eventui commissum ; seu , ut explicat D. Augustinus in Psalm. 30. Enarrat. III. num. 13: *Sors res est in dubitatione humana divinam indicans voluntatem* . Vbi enim mens in ancipiti est , nec ratio occurrit , cur in alterutram partem inclinet , saepe recurrit ea ad fortem , cuius arbitrato difficultas dirimatur . Hanc Fortunae filiam adpellat Euripides apud Plutarchum de Sileat. Orac.

Fortunae proles Sors tulit sententiam :

quamquam apud Romanos Sors , et Fors , quae et Fortuna , promiscua significatione usurpentur ; nihilque per ea vocabula intelligatur , nisi casus inconsultus , qui praeter hominum consilium evenire solet .

Quia vero insito quodam rationis instinctu omnes fere Gentes crediderunt casus hosce a superna aliqua mente regi , ac ordinari , quam Ethnici Fortunae Numen nuncuparunt , nos divinam Providentiam ; hinc factum est , ut quoties rem casui commendamus , non aliter nobiscum

intelligimus, quam si rem nobis dubiam, nullaque ratione humana dissolvendam divino iudicio remittamus: quapropter antiqua consuetudine introductum est, ut hereditatum partes, quando heredes dissentiunt, huiusmodi iudicio assignentur. Hinc vocabulum *sortis* translatum est ad significandam hominum conditionem, sive statum; qua significatione saepe sumitur cum in divinis Scripturis, tum etiam apud profanos Scriptores. Hinc Horatius Satyr. I.

*Qui fit Maecenas, ut nemo quam sibi sortem,
Seu ratio dederit, seu Sors obiecerit, illa
Contentus vivat.* —

Antiquum usum sortium minime a Fabulis deduceremus, nisi in illis permagna quaedam Historiae indicia deprehenderentur. Ferebatur itaque inter Iovem, Neptunum, et Ditem, diviso rerum imperio, non aliter de partium additione conventum esse, quam iactis sortibus, ut quisque illam haberet, quam casus sibi obtulisset; ut recitat Apollodorus Biblioth. Lib. I. *Quo facto* (Iupiter, Neptunus, et Pluto) *rerum imperium sorte inter se partiuntur: ac Iovi quidem Regnum Caeli, Neptuno Maris, et Plutoni Inferorum loca obtigerunt.* Quod etiam auctoritate Homeri Iliad. O. vers. 191. confirmatur:

*Tres enim ex Saturno sumus Fratres, quos peperit Rhea;
Iupiter, et ego; tertius autem Pluto inferis imperans.
Trifariam autem omnia divisa: quisque vero nactus est honorem;
Quippe ego sortitus sum canum Mare habitare semper,
Motis sortibus: Pluto autem sortitus est caliginem obscuram:
Iupiter vero sortitus est Caelum latum in aethere, et nubibus:
Terra autem adhuc communis omnibus, et altus Olympus.*

In huius quidem Fabulae involucro putarunt Viri gravissimi Historiam illam adumbrari de diviso orbis dominio inter Sem, Cham, et Iapheth: quod forte ne, an alio consilio factum sit, ignoramus; quum Scriptura Genes. x. de divisione tantum mentionem faciat: *Ab his divisae sunt insulae gentium: tum ab his divisae sunt gentes in terra; inverisimile vero non est divisionem illam invidiae plenam, et unde tot bella exoriri debebant, ope fortium factam fuisse,*

Apud Hebraeos certe frequentissimus existit sortium usus; cuius primum indubitatum exemplum eruitur ex Genes. Cap. xxiv. ubi servus ille Abrahae in Mesopotamiam missus, ut Isaac domini sui filio uxorem quaereret, negocium difficile, homo regionis ignarus, forti committendum reputavit, *ita secum statuens: Ecce ego sto prope fontem aquae, et filiae habitatorum huius civitatis egredientur ad hauriendam aquam. Igitur puella, cui ego dixerero, inclina hydriam tuam, ut bibam; et illa responderit, bibe, quin et camelis dabo potum: ipsa est, quam praeeparasti servo tuo Isaac.* Sortium quoque iudicio, Deo ita imperante, res illa maximi momenti, et periculi plena demandata est, qua Terra Chanaan inter populum dividenda erat, ut Numer. xxvi. 55. *Ita dumtaxat, ut fors terram Tribus dividat, et Familiis. Quidquid sorte contigerit, hoc vel plures accipiant, vel pauciores.* Nec minoris ponderis electio Regis Israël futura erat, quae per fortes designata est, primo Regum x. 20. *Et cecidit fors Tribus Benjamin; et applicuit Tribum Benjamin, et cognationes eius, et cecidit cognatio Metri, et pervenit usque ad Saul filium Cis.* Sacerdotibus quoque et Levitis sortito urbes addictae sunt, primo Paralip. vi. 54. et pari lege singulis classibus Sacerdotum ordo, quo in templum ministrarent, distributus est, ex eodem Libro

Cap.

Cap. xxiv. et xxv. In sacris quoque expiatoriis, de duobus hircis coram Domino oblati, fors dirimere debebat, uter mactandus, an dimittendus, Levitici xvi. 8. Rursus in bello, parta victoria, fortito praeda dividenda erat, ut Abdiae I. 11. et Nahum III. 10. In occultis quoque delictis saepe reus fortitione detectus est, ut Ionathas Regum I. 14. et Achan Iosue VII. 18. Zacharias quoque Praecursoris parens memoratur, cui forte obtigit, ut incensum offerret quum Angelum in occursum habuit, ut Lucae I. 9.

Quod pie Hebraei praestiterunt, superstitiose Ethnici usurparunt. De Phoenicibus exemplum habemus in Ionae prophetia. De Graecis auctor est Pausanias a nobis inferius adlegendus. Lycias fortes saepe memorant Scriptores, inter quos Sidonius Car. IV. Germanicas vero Tacitus in Libello de Mor. Germanor. et Caesar de bello Gall. Lib. I. Chaldaeos maxime fortibus detulisse evincitur e Libro Esther III. et VII. et ex Ezechiele XXI. 21. Apud Lacedaemonios usum sortium fuisse ostendit Lucianus in Hemotimo: apud Syracusanos vero Cicero Verrina IV. apud Italos tandem tam obviae fuerunt, ut infra demonstrabimus, ut ex his coniecere possimus, nullum fuisse ex celebrioribus Templis, in quibus fatidicae sortes non exstarent. Apud Indos quoque adhuc in usu esse ostendit in suis Epistolis earum Gentium Apostolus Franciscus Xaverius, qui se aliquando ex illis in maximo vitae periculo fuisse testatur, sortibus nempe pronunciantibus. infortunia quaedam ex eius causa contigisse. Sed hae Gentilium sortes, nec superstitione caruerunt, et plerumque praestigiis redundarunt.

Minus hae damnandae sunt, quas Christiani adhibuere, et quae aliquando, Deo ipso adnuente, datae sunt. Talis propemodum fuit, qua Mathias in Coetum Apostolicum

cooptatus est, ut ex Actis Apostolorum Cap. I. *Et statuerunt duos, Ioseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Iustus, et Mathiam — Et dederunt sortes eis, et cecidit sors super Mathiam, et adnumeratus est cum undecim Apostolis.* Id ipsum exemplum secutae sunt olim plures Ecclesiae in electionibus faciendis; eamque consuetudinem confirmavit Concilium Barcinonense anno DXCIX. ubi demandatur feligi in contentiosis electionibus: *Quem sors, praecedente Episcoporum ieiunio, Christo Domino terminante, monstraverit.* In electione quoque Patriarchae Alexandrini Ecclesiae Copticae tres eliguntur, in quos maior suffragiorum numerus consenserit; ex quibus forte ducitur⁹ futurus Antistes; ut ostendit Renaudotius de perpetuitate Fidei Tom. IV. Lib. I. Cap. 7. Eundem ritum, ipso referente, servat Ecclesia Nestorianorum in electione Catholici sui, hoc est Patriarchae. Sanctorum Patrum exempla, et auctoritates plurimae adduci possent, quibus haec consuetudo mirifice comprobatur; sed ne nimius videar, ea facient satis, quae infra suis in locis adducenda sunt.

Haec vero tanta apud omnes fiducia fortium, praecipue vero apud Hebraeos, atque Christianos, ex duplici fonte promanavit. Aliquando ex speciali Dei revelatione, sive instinctu aliquo, quo id experimentum fieri mandavit; ut ea, quae futura esse decreverat, earum indicio evenirent, ut contigit in fortitione Saulis, atque Mathiae. Quidni etiam infidelium fortibus quandoque usus est, ut incomprehensibilibus iudiciis suis viam sterneret: ut, quomodo nautae Ionam deprehenderunt periculi communis auctorem: et Nabuchodonosor apud Ezechielem fortito elegit Ierusalem, adversus quam arma moveret. Altera vero magis communis ratio est ipsa in divinam Providentiam fidu-

fiducia, cui se se in difficillimis rebus homines paenitus commendarunt, auctoritate freti divini Oraculi Proverbior. XVI. 33. *Sortes mittantur in snum; sed a Domino temperantur*: et XVIII. 18. *Difficiles lites fortibus dirimendae committuntur*. In Psalmis quoque legimus: *in manibus tuis sortes meae*; ex quo dixit Augustinus Lib. IV. super Genesim, Cap. XXIII. *Solent, quae sorte dantur, divinities dari*. Quamquam moneamur, nec temere, nec inordinate ad sortes recurrere: *quum privilegia singulorum non possint legem facere communem; nec debemus suo exemplo Ionae fortibus credere*, ut nos monet Divus Hieronymus in Ionam Cap. I. cuius verba usurpavit super Acta Apostolorum Venerabilis Beda:

S. II.

V Sque adhuc de fortibus generatim actum est. Succedit ut illarum genera singillatim ad examen revocemus. Vti vero in triplici negotio adhiberi possunt, in *divisione*, in *consultatione*, atque in *divinatione*; ita, omnium Scriptorum Ecclesiasticorum calculo favente, illas in *divisorias*, *consultorias*, et *divinatorias* recte dividemus. Primum genus illas complectitur, per quas non quid agendum sit; sed *quomodo agendum* inquirimus. Per secundas *quid sit agendum*: postremae vero harum neutrum perscrutantur; sed *quid actum sit, aut futurum*, ut docet Divus Thomas in 2. 2. quae est. 95. artic. 8. quem communiter Theologi sequuntur. Itaque DIVISORIA SORTE licite utimur, ubi nulla subest ratio cur uni potius, quam alteri portio aliqua adsignetur, ut aperte disponunt Iura Civilia in *L. Sed cum ambo ff. de iud. et L. Generaliter S. Quis ergo ff. de fid. lib. et L. Si quae sunt ff. fam. herisc. et L. 2. Cod. Quand. et quib.*

quib. quar. pars, et S. Optionis institut. de Legatis, cum quibus procedit Iuris Canonici censura in C. 26, quæst. 2.

Sortes CONSULTORIAE, per quas inquirimus quid sit agendum, saepe quidem a Viris sanctissimis usurpatae sunt; sed huiusmodi exempla non sine periculo imitari possumus, quum ignoremus, quo divinae Sapientiae consilio, quibusque praemissis diligentibus adhibitae sint. Ceteroquin communiter improbantur: qui enim ad hasce sortes recurrit, Deum utique tentat, qui nunquam promisit se fortientibus adfuturum.

DIVINATORIAS, utpote uni superstitioni innixas, nunquam Viri probi admiserunt, quin ab omnibus condemnantur non modo ut vanae, verum etiam et praestigiosae, et fere semper malorum spirituum invocationem involuentes. Has execrantur sacri Canones in C. 1. de Sortilegiis, et in C. Sortes 25. quæst. 5. et in C. Sortilegii 27. quæst. 1. Quin etiam et ipsa Iura Civilia id genus fortium detestantur, ut in L. Nemo Cod. de Malef. et Mathemat.

Leges vero in usu fortium adhibendae vel finem respiciunt, vel modum; ubi enim finis iure prohibitus est, nemo inficias ibit fortes in eo nullas, et nec ipsas divinatorias fore excusandas. Iniquas praeterea reddit sortes ipse modus, quo illae tentantur, si superstitionis labe infectus sit, de quibus in sequenti Sectione. Illud praeterea communi Patrum consensu sancitum est, ut sicuti divino iudicio, cuius nutu omnia succedunt, negotium defertur, ita Deus Optimus Maximus pie simul, ac reverenter invocetur. Sic Genesios XXIV. 12. Abrahæ servus antequam sortem tentaret, Deum deprecatus est: *Domine Deus domini mei Abraham, occurre, obsecro, mihi hodie, et fac misericordiam cum domino meo Abraham.* Oravit quoque Saul ante-

antequam fortem committeret , ut violati voti reum detegeret primo Regum XIV. 41. *Domine Deus Israël , da iudicium : quid est , quod non responderis seruo tuo hodie ?* Iosue quoque antequam per fortem inquireret furti reum , cuius causa universus Israël maximis calamitatibus afflictabatur , Dei iussu preces praemisit ; Iosue VII. 13. *Surge , sanctifica populum , et dic eis , sanctificamini in crastinum .* Inde vero fors cecidit in Achan eiusdem sceleris auctorem . Apostoli pariter antequam fortem mitterent , ut Iudae locum implerent , ita Deum precati sunt ; Act. I. 24. *Tu Domine , qui corda nosti omnium , ostende quem elegeris ex his duobus unum .*

Huiuscemodi exemplorum auctoritatem secuta est Barcinonensis Synodus supra laudata , qua sancitur in difficilissimis quibusdam electionibus illum anteferri , *quem fors , praecunte Episcoporum ieiunio , Christo Domino terminante , monstraverit .* Hoc etiam monuit Venerabilis Beda , ubi in Apostolorum Actis de Mathiae sortitione sermonem facit : *Si qui tamen necessitate aliqua compulsi Deum putant sortibus Apostolorum exemplo esse consulendum ; vide ante hoc ipsos Apostolos , nonnisi collecto Fratrum coetu , et precibus ad Deum fuis , egisse .*

Ipsos quoque Gentiles hanc disciplinam servasse ostendit per saepe Homerus , ut Iliad. Γ. vers. 315.

*Hector autem Priami filius , et nobilis Vlysses
Locum quidem primum dimetiabantur : at postea
Sortes in galea aerea iaciebant accipientes ,
Vter prius emitteret aeream hastam :
Populi interim supplicabant , et Diis manus elevabant .*

Eadem formula usus est in alia fortitione , Iliad. H. vers.

175.

*Sic dixit ; hi autem sortem signaverunt singuli ,
Et iniecerunt galeae Agamemnonis Atridae ;
Populi interim supplicabant , et Diis manus elevabant .*

Et paullo post vers. 182.

*Sic dixerunt : morvit autem Gerenius eques Nestor ;
Exiit autem fors a galea , quam volebant ipsi ,
Nempe Aiakis .*

Religiose quoque tentandas esse fortes ostendit suo modo
Tiresias apud Euripidem in Phoenissis :

*Serva mihi fortes , virginea manu
Quas accepi , servans auguria avium
Ex sedibus ubi vaticinor .*

S. III.

Modus fortiendi varius semper fuit pro diverso hominum ingenio , moribus , et religionibus . Ad duo vero capita commode redigi potest , *superstitiosum* nempe , et mere *civilem* : postremum hoc fortes illas complectitur , quae communi usu receptae erant , atque illas , quas privatum ingenium pro oblata occasione ad libitum sibi constituebat .

Superstitiosae fortes , quarum usum odioso fortilegii genere nuncupamus , multae apud Antiquos fuerunt , paucae haec referemus . Sortiebantur Chaldaei per sagittas ; cuius specimen habemus Ezechielis Cap. XXI. 21. *Stetit Rex Babylonis in bivio in capite duarum viarum , divinationem*
quae-

quaerens, commiscens sagittas, interrogavit Idola, exta consuluit; ad dexteram eius facta est divinatio super Ierusalem. Quo pacto eam exercerent, disputant simul, nec conveniunt Interpretes. Sunt, qui putent geminas sagittas pari robore iaculatas, eam tulisse sortem, quae longius processisset. Credunt alii ad instar speculi laevigatas, imagines quasdam reddidisse, unde consilium caperetur, quam proprie Κατοπρομαντείαν vocant. Credunt plerique sagittas pares occulto signo distinctas, ita versatas in pharetra, ut casu eductae officium praestarent, quod ceteroquin calculi, sive astragali; ut declarat in locum citatum Hieronymus: *Stabit in ipso compito, et ritu gentis suae oraculum consulat, ut mittat sagittas suas in pharetram, et commisceat eas inscriptas, sive signatas ~~omnibus~~ fruguborum, ut videat cuius sagitta exeat, et quam prius civitatem debeat oppugnare.* Superstitione igitur non caruit, quae ad instar oraculi ab Idolis petebatur, proprioque vocabulo Βελομαντείαν nuncupant.

Sortem aliquando experiebantur per aream spatii quibusdam distinctam, et litteris signatam, in quibus spatii grana disponebant; immissoque gallo gallinaceo, diligenter adnotabant, ex quibus litteris grana depasceret, atque ex eisdem litteris responsum hariolabantur; ut colligere licet ex Zonarae Historia Lib. III. Sed haec vanitas divinationem potius, quam fortitionem praeferebat, propriaque nuncupatione Αλεκτρομαντείαν dicebant.

Per virgas quoque sortes mittebant; quam artem Παβδομαντείαν adpellabant, de qua Osee. Cap. iv. *Populus meus in ligno suo interrogavit, et baculus eius annuntiavit ei.* Quem locum ita enarrat Theophylactus: *Virgas duas statuentes, carmina, et incantationes quasdam submurmurabant.*

Praxim vero diligentius explicat Rabbi Moyfes in explanatione praecepti negativi 52. dicens: *Decorticabant bacillum ligneum uno tantum ex latere. Tum in aërem proiciebant. Si fortuito casu primo iactu adparuisset superior pars decorticata; secundo autem iactu superior pars adhuc vestita, prosperum successum augurabantur. Si primum prima pars vestita, infelicem: si utroque iactu vestitum vel nudatum latus superius fuisset, mixtum eventum sibi pollicebantur. Referunt vero alii, quos inter idem Theophylactus, duas virgas eligi consuevisse, quarum una affirmativam; altera vero negativam importaret, fufisque quibusdam precibus observasse utra illorum flecteretur.*

Huc pertinet, quamquam diverso ritu, adhibita Germanorum fortitio, de qua Tacitus de mor. German. *Sortium consuetudo simplex. Virgam frugiferae arboris decisam in surculos computant; eosque notis quibusdam discretos super candidam vestem temere, ac fortuito spargunt. Mox publice consulitur Sacerdos civitatis, et sublata secundum praemissam notam interpretatur.* Ab huiusmodi vero instrumento deducitur id fortiendi genus ad *Ἀστράγαλομαντείαν* potius sive ad *Κυβομαντείαν* pertinuisse, quam tesserulis, et concisis tiggillis exercebant.

Civilis fortitio eas formas complectitur, in quibus nulla indicia saltem manifesta superstitionis deprehenduntur. Harum aliquas, ut praemisimus, vel communis usus introduxerat, vel privatum iudicium ex quibusque oblatibus occasionibus ex tempore usurpabat. Quemadmodum Abrahæ servus fortitionem constituit in potus oblatione? et primo Regum VI. 7. Philisthaei experimentum fortis fecere in electione viae, quam vaccae adripuissent, quibus Arcam imposuerant: *Siquidem per viam finium suorum ascenderit.*

contra Bethsames, ipse fecit nobis hoc malum grande: sin autem minime; sciemus, quia nequaquam manus eius tetigit nos, sed casu adcidit. Haec et plura similia, quae passim in utraque Historia occurrunt, veluti, quae nullis legibus subiacerent, nisi quas sibi quisque pro re nata constituisset, disputatio nostra non respicit.

Quae vero communi consuetudine exceptae erant, quorundam instrumentorum auxilio exercebantur. Ad id officium lignum maxime delectum est, ex quo sortibus factum nomen. Herodianus Grammaticus: *Κλήρος a κἄλον; idest lignum, quod lignorum usus fuerit potissimus ad sortes, in quibus symbolum suum, teſeramque incidebant.* Tales fuere Praenestinae, quas ex robore constitisse refert Cicero infra citandus. At nihilominus quandoque ex animalium talis sortes iactae, quibus lusitabant: quorum latus, quo unitas significabatur *Canicula*; oppositum septenarium indicans, *Cous*, sive *Venus* audiebat: facies quae ternarium importabat *Chius*, quae vero quaternarium *Senio* dicebatur. Tali imaginem saepe habemus in antiquissimis Italiae Nummis inlitteratis: quorum alterum latus concavam partem; oppositum vero protuberantem ostendit: quod quidem symbolum facile adludit ad religionem Urbis alicuius, in qua sortes celebriores erant, quae per talos iacebantur. Huiusmodi sortium mentio fit apud Ciceronem praecipue de Divinatione Lib. II. *Quid fors est, idem propemodum quod micare, quod talos iacere.* Et apud Pausaniam in Messen. *Qui enim sortes consulit, precatur ante simulacrum, sumtosque talos quatuor mittit in mensam.*

Naturalibus talis succedere cubi manufacti, quorum fena latera punctis distincta erant, quales propemodum sunt, qui ex sacris Coemeteriis detracti, a Cl. Boldettio refe-

referuntur. Talum apud veteres Christianos in usu in suis Cimeliis amicus noster optimus Gorgius servat, in quo praeter complura puncta, five orbiculos coacervatos; hinc inde in latere eius dextro insculpta est columba ramusculo insistens; in sinistro vero vas, seu crater ansatus. Ab his non discedunt Patavinae fortes, quarum latera numeris obsignata fuisse, ostendit Suetonius in Tiber. Cap. XIV. *Sorte tracta evenit, ut summum numerum iacti ab eo ostenderent; hodieque sub aqua visuntur hi tali.*

Saepe etiam notas aliquas arcanas, seu symbola tali praeferebant, ut equum decurrentem, palmam, atque similia: quorum exemplaria ex iisdem sacris Coemeteriis prodidit idem Boldettius; quibus similes fuere tali, quos memorat idem Pausanias in Achaicis: *Oraculi sortes capiuntur per talos: inscripti sunt certis notis tali singuli, et in Tabula notarum interpretationem habent.*

Forma quoque non semper eadem; nam saepe a cubica figura recedentes, tabellam depressam retulerunt; ut nonnullae apud laudatum Boldettium, et Celeberrimum Antonium Mariam Lupium, Soc. Iesu Presbyterum, in Epitaphium Severae, occurrunt; quas nobis adnotasse eo gratius fuit, quo magis ad nostras haec Christianas adducunt; nam quum et illae e Christianorum Sepulcris prodierint, vehementem ingerunt suspicionem, Christianos adhibuisse fortes haec in tesserarum formam confectas, quae fortuita manu ex urna ducerentur, ut iactum illum effugerent, qui in cubicis talis detestatae aleae speciem referebat.

Inter haec sortium genera, tot tantisque signis distincta, oportet etiam aliquas existisse, quae simplicibus litteris signatae forent. Refert enim Plutarchus in Apotheos.

Dionysium Tyrannum monarchiae augurium fuisse, ex quo sibi littera M in fortibus contigisset. Huiusmodi erant et Praenestinae sortes apud Ciceronem Lib. II. de Divinat. *Perfracto saxo, sortes erupere in robore insculptae priscarum litterarum notis.* Neque alias omnino fuisse credendum est sortes illas, e quarum iactu integri sensus, atque sententiae educebantur; ut illa, quam refert Valerius Maximus Lib. I. *Praecipit sortibus, ut aquam eius lacus emissam per aërem diffunderent:* et apud Suetonium in Caligula: *Monuerunt et sortes Antiatinae, ut a Cassio caveret:* et apud Lampridium in Alexandrum Severum: *Huic sors in templo Praenestinae talis existit, quum illi Elagabalus insidiaretur.*

————— *Si qua fata aspera rumpas,*
Tu Marcellus eris. —————

Hae vero fortitiones e multiplici tesserarum iactu constare debebant; ex quibus simul conlectis literis, non sine aliqua Antistitum industria, fortasse etiam fycophantia, responsa illa tam apta negotio componerentur. Quae coniectura circa sortes Praenestinas eo probabilior mihi videtur, quum aperte sciamus, illas per tesserulas litteratas trahi consuevisse.

Ad id ultimum genus pertinent tesserulae hae nostrae, in quarum antica parte stellata Crux Christianae Religionis indicium exarata est; in altera vero singulae singulis Graecae litterae, quae, ut praefati sumus, notarum numeralium vicem praestabant. Non utique ad iocos illos divinatorios exhibendos, quos Praenestinae sortes, atque Antiatinae exhibebant, quarum vanitatem Christianae Fidei symbolum omnino excludit; sed ad nomina in electionibus sortienda, quae initialis littera designaret: sive ad loca, ali-

aliqua in sacris, seu civilibus confessibus adsignanda: seu demum in innumeros usus, quos per coniecturam adsequi nullatenus non valemus. Cruz verò, quae alteram tesseraum faciem exornat, non modo sacris suppellectilibus conveniebat; sed in profanis quoque adhibebatur, ut vitreae lamellae Coemeteriales ostendunt, in quo Fideles illud D: Pauli ad Coloffenses III. sequuti videntur: *Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu Christi, gratias agentes Deo, et Patri per ipsum.*

§. IV.

SED quia de fortium instrumentis sermo incidit, restat ut modum, quo illae commoverentur, inquiramus: quod quidem examen nec incuriosum est, nec inane; nam plerumque et ipse aliquam religionem involvebat. Ex his vero, quae supra praemisimus, conligi facile potest, tesseras in usum fortium adcommodatas vel unico signo distinctas fuisse, ut litteratae; vel multiplici, ut astragali, quorum singula latera punctis, aliisque insignibus distincta erant. Primi generis fortes incisa manu in vas iniectae singulae a singulis trahebantur. At posterioris generis ipso vase inverso in mensam proiiciebantur; nam in his exitus fortis non a tessera dependebat; sed ab ipso tesserae, seu tesserarum adpectu, quem in mensa adcepissent. Quapropter quum fortes e talis constarent, inverso fritillo in mensam effundebantur; ut constat ex antiquo Pindari Scholiaste: *Consueverant olim vaticinari per sortes: et erant in sacris mensis tali, quos iacientes vaticinabantur; verbi causa, si me iaciente hoc ceciderit, illud eveniet; sin minus, non eveniet.* De sacris vero mensis in templis constitutis, earumque

rumque vario usu multa dicta sunt in Dissertatione de Mensa sacra Herculanensium in fine Vol. I. Symbolarum Gorianarum . Ex Philostrato quoque constat idem usus mensae in astragalizando ; sic enim ille in Vita Apollonii : *Ille calculos sumens , et in tabula referens , et digitos inflectens .*

Saepe saepius non in tabula , sed in aqua iactus sortium fieri solebat . Tales fuere fortes Geryoneae , quas supra ex Suetonio in Tiberio memoravimus : *Hodieque sub aqua visuntur hi tali* : Lyciae quoque sortes , quas memorat Sidonius Carm. IV.

Non sortes Lyciaeque , Caeritumque
 Responso .

In aqua fontis sacri effundi consuevisse memorant . Plautus etiam in Casina senem inducit forti rem committentem , non aliter vero , quam in aqua tentandam :

*Intro abi , atque astutum uxorem evoca ante aedes cito ,
 Et situlam huc adfero cum aqua , et sortibus .*

Sic quoque inter Aristodemum , et Cresphontem de Messeniae regno certatum est apud Pausaniam in Messeniis ; iactis enim in aquam geminis paribus tesseriis ex argilla compactis , illa ex ambabus tracta est , per quam Cresphonti Messenia contigit , dolo Temeni , qui eius talum e coctolaterculo fecerat ; alterum vero ex crudo , qui in aqua dissolutus est . Quippe ea sortitio ex eo genere erat , in quo talus unicuique nomine , vel nota inscriptus extrahi solebat .

Adhibitam ad id officium urnam saepe memorant Scriptores , ut Virgilius Aeneid. VI. vers. 431.

*Neo vero hae sine sorte datae, sine indice, sedes:
Quaefitor Minos urnam movet.* —————

Et Horatii Satyr. IX. Lib. I. 29,

— *Namque instat fatum mihi triste, Sabella,
Quod puero cecinit, divina mota anus urna.*

Urna quoque usus est Aman quum menssem, et diem fortitus est, in quo perderet Hebraeos. Esther Cap. i. *Mense primo, cuius vocabulum est Nisan, anno duodecimo regni Assueri, missa est sors in urnam, quae Hebraice dicitur Phur.* In de vero mansit apud Hebraeos nomen Festo sortium, quod *Purim* vocant. Urna quoque usus est Imperator Probus apud Vopiscum in sorte ducenda: *Sorte in urnam missa, iussit equum praestantem militi, cui sors ex urna contingerat, dari.* Et Cicero de Divinatione: *Simia urnam evertit, et sortes dissipavit.*

Hydria aliquando huic ministerio substituta est, quae ob sui profunditatem sortes magis occultas conservaret. Idem Cicero Verr. IV. *Vt quot essent renunciati, tot in hydriam sortes conicerentur:* quod praecipue factum esse puto, ubi sortitioni aqua addebatur.

Sitellam in eo ministerio adhibitam memorat Plautus loco citato. Etruscorum picturae saepissime Matronas exprimunt haec sitellas manibus deferentes, sive Laribus suspendentes; quae caerimonia non modo ad libamina pertinet, praecipue vero ad vinum; verum etiam ad hoc, nisi fallor, sortium institutum trahi potest.

Heroicis temporibus galea in usu erat ad sortes commiscendas, ut ex duplici loco Homeri supra demonstratum est:

At postea
Sortes in galea aerea iaciebant.

Sortem signaverunt singuli,
Et iniecerunt galeae Agamemnonis Atridae.

Alicubi fortes versabantur non in urna, sed in sacris linteaminibus, sive taeniis, quarum maxima erat Religio: inde vero quum educerentur, vocabulo in sacris usitato, *extaeniari* dicebantur. Livius Lib. XXI. *Ex Caere sortes extaeniatae*. Hinc lectisternium, ubi fortes extaeniatae essent, imperatum. Et Lib. XXII. in principio: *Faleriis caelum findi visum magno biatu: quaque patuerat, ingens lumen effulxisse: sortes sua sponte extaeniatas, unamque excidisse ita scriptam: Martors telum suum concutit*. Scio Codices ut plurimum, habere *extenuatas*: Lipsius tamen Elect. Lib. II. Cap. 12. priorem lectionem defendit.

Observavimus aliquando fortes in finu vestium commixtas, ut Proverb. XVI. 33. *Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur*.

Illud etiam antiquitus in usu fuit, ut quum fortes singillatim ex urna educendae essent, puerilis manus adhiberetur, ut omnis fraudis suspicio abesset, ut ex Tibullo Lib. I. Eleg. III. vers. II.

*Ille sacras pueri sortes ter sustulit: illi
Rettulit e. trivis. omina certa puer.*

Et Cicero de Divinat. *Sortes, quae Fortunae monitu pueri manu miscentur, ac ducuntur*. Haec tamen diligentia inanis futura erat in illis fortibus, in quibus tali universi ex urna diffundebantur; quod ab ipsis, qui fortiebantur, facile factum est.

S. V.

INter ceteras sortium species, quas Christiani adhibuerunt, illae potissimum memorantur, quas *Apostolicas* vocabant. Illarum exemplar ab Ethnicis deductum est, apud quos solemnes fuere sortes Pythagoricae, Homericæ, et Virgilianae, quorum Libris fatidicam quamdam virtutem superstitiose adtribuerunt. Nam acu in Codicem fortuito inserto, locum cuspidè designatum oraculi instar habebant; unde aliquando vera praedicta sunt, Deo nempe ita permittente, in poenam incredulitatis: de quo D. Augustinus Serm. de Tem. 241. *Sed forte dicit aliquis quid facimus, quia anguria ista vel characteres, vel divinationes frequenter nobis veritatem adnuntiant? De hac re Scriptura nos contestatur, et monet, dicens: etiam si vera dixerint vobis, nolite credere.* Neque praeterea mirandum, si aliquando sententiae negotio aptissimae ductae sunt, quum Libri illi ob rerum immensam varietatem, qua mirifice ornantur, tot dicta, et facta contineant, quae litteraliter, vel tropologice quaesitis omnibus convenire possunt. Itaque de Virgilianis sortibus multa, et mira narrantur; praesertim quum Alexander adhuc adolescens ad litterarum studia impensissime traheretur, teste Lampridio, *Virgilii sortibus huiusmodi illustratus est:*

Excudent alii spirantia mollius aera:

Tu regere imperio populos, Romane, memento.


Aliud non dissimile Hadriano accidisse tradit Spartianus: *quum Virgilianas sortes consuleret fors excidit:*

Quis procul; ille autem ramis insignis oliuae

Sacra ferens. _____

Morem hunc Christiani ad Religionem transfusere, adhibitis ad id officii sacris Codicibus; ob sui tamen vanitatem saepe a Patribus reprobatum, praecipue a Nicolao Pontifice in Epistola ad Bulgaros: *Graeci Codicem accipientes in manibus clausum, unus ex iis accipiens purissimam particulam ligni, hanc intra ipsum Codicem condit; et si undecunque aliqua vertitur ambiguitas, per hoc adfirmant se scire posse, quod cupiunt.* Ad has sortes saepe recurrebant Africae Christiani, ut refert D. Augustinus Epist. 53. quas tamen *suffragio suo nunquam adprobandas* profitetur. Damnant praeterea has sortes lura Canonica in C. si quis Clericos 26. quaeft. 5. in C. Sortilegii 27. quaeft. 1. *Sortilegi sunt, qui sub nomine fictae religionis, per quasdam, quas vocant Sanctorum, seu Apostolorum sortes, divinationis scientiam profitentur, aut quarumcumque scripturarum inspectione futura promittunt.* At nihilominus exempla non pauca Sanctorum occurrunt, qui sortes hasce adhibuerunt non ad occulta investiganda; sed ad solamen, atque auxilium animo expetendum: quemadmodum cum magno charitatis proventu B. Patriarcham Franciscum saepe fecisse tradit in eius Vita D. Bonaventura Cap. XIII. Alterum eiusdem consuetudinis exemplum habemus apud D. Gregorium Turonensem Lib. IV. Cap. 16. *Positis Clerici tribus Libris super altarium, idest Prophetae, Apostoli, atque Evangelicorum, oraverunt ad Dominum, ut Christiano, quod eveniret, ostenderet.* Aperto igitur primo omnium Prophetarum Libro, repererunt: *Auferam maceriem eius.* Et rursus Lib. XV. Cap. 14. Regem Meroveum idem fecisse refert. B. Theodora Alexandrina, idem exemplum secuta est apud Simeonem Metaphrasten: quin etiam idem B. Gregorius Turonensis eodem Lib. V. Cap. 47. se in magna angustia versatum hisce fortibus

se usum esse testatur ; quodque ex fortuita lectione notarat, ad unguem postea addidisse . Exemplum tamen sunt hæc , veneranda magis , quam imitanda ; nam sanctissimos hosce viros non sine præcipuo Dei instinctu hæc egisse credendum est ; ut qui sine pari vitæ merito curioso ingenio ista præsumunt , sibi cavere debeant , ne dum consilium per fortes quaerunt , quod precibus potius promerendum erat , sorte inlusi in errorem adripiantur , iuxta illud Proverb. XVI. *Est via , quæ videtur homini recta , et novissima eius ducunt ad mortem .* Coronidem imponimus huic opellæ eximio tui locupletissimi Musei sacro Cameo anulari , VICTORI EQVES COMMENDATOR ORNATISSIME : „qua quidem Christianæ Religionis tessera , de qua erudite satis differuisti , nil augustius , nil divinius existat ,



DE POCVLIS ASTRIFERIS

V E T E R V M

PROFANIS ET SACRIS

D I S S E R T A T I O XV.

IOANNIS BAPT. PASSERI


NOBILIS. EVGVBINI

I. C. ET VICAR. PISAVRENSIS.



*Fragmentum ant. Crateris vitrei picti
Romae in Museo Victorio*

J. V. Sc.



J. V. Sc. Ex Vasculo penes Mercatorem Anconit.

DE POCVLIS ASTRIFERIS

V E T E R V M

P R O F A N I S E T S A C R I S

D I S S E R T A T I O X V .


A D C L A R I S S I M V M V I R V M

I O S E P H V M B L A N C H I N I V M

V E R O N E N S E M

C O N G R E G A T I O N I S O R A T O R I I R O M A N I

P R E S B Y T E R V M



QVVM mihi nuper observare contigisset vitrei Crateris insigne fragmentum, in quo post viri palliati tergum, qui forte inlustris alicuius Astronomi imaginem referebat, typus caelestis Globi fulcro impositi depictus encausto cernitur; pergratum fore duxi viris Antiquitatum, et praesertim caelestis Scientiae studiosis, si e nobilissimo

MUSEO VECTORIO, in quo custoditur, in publicam lucem prodiret, ut ex eius prospectu antiqua artificialis Sphaerae forma nobis innotesceret. Alteram quidem eiusdem instrumenti imaginem, sed humiliore fulcro munitam, et propterea aliquantulum ab hac discrepantem, iterum observavimus in perrara Gemma, quam inter Astriferas Vol. I. Tabula LXVIII. publicatam explicavimus. At eruditorum Virorum gratiam magis magisque nos inituros speramus, si Astriferam Antiquitatem undequaque ex Gemmis collectam, multiplici quoque versatilis Sphaerae specimine cumulemus; ut iam ex utroque typo recentioribus cum modulis comparato, quantum novo industria profecerit, intelligamus.

II. Vbi vero statui perrarum id monumentum commentariolo exornare, et simul inde optata occasio mihi a Cl. Gorio amico cum tuo, tum meo suavissimo, oblata est aliqua adnotare DE POCVLIS ASTRIFERIS VETERVM cum sacris, tum profanis; haud diu haesitandum fuit, cuius auspiciis lucubratiunculam hanc meam commendarem; nam mihi semper ob oculos obversaris, BLANCHINI RELIGIOSISSIME, et non minus doctrina, qua referta sunt celeberrima, atque oppido insignia a Te edita Opera, quibus egregie de Apostolica Sede meritus es, quam natalibus spectatissime; ad cuius ceteras dotes adcedit, nescio an dixerim Tuam, an potius Tibi domestica, Matheos scientia; cuius ope apud dissonas moribus, et religionibus Gentes eo usque nomen tuum celebratur, quantum apud nos sanctitate morum, et divinarum Litterarum scientia, ac dignitate est plane commendatissimum. Praestantissimo Praefuli FRANCISCO BLANCHINIO Patruo tuo, aeterni nominis Viro, id ipsum contigisse memoratur, qui non solum apud Gal-

Gallos , verum et apud Britannos , atque apud exteras fere omnes Scientiarum et Artium Academias , sui praeclarissimi nominis lucem , et scientiae amplitudinem adeo invexit , amplificavitque ; ut ab omnibus summam laudem , et candore probitatis , ac recto iustitiae tenore gratiam , et honores quammaximos , meruerit . Haec in causa fuere cur Tibi virtutum eius heredi , atque cultori pereximio hoc observantiae testimonium offerrem ; in quo profecto nihil tuae dignitati respondet praeter argumentum .

III. Pictura , circa quam versamur , non modo ab ipso emblemate , sane perraro , verum et ab insigni mole , commendatur , quae longe communem poculorum figuram antecellit ; si enim infima huius scyphi area , ipso etiam adtonso margine , integretur , ~~pedalem mensuram facile~~ aequabit . Ad poculum tamen pertinuisse non dubito ex obvia illa in potoriis vasculis adclamatione , *PIE ZESSES. bibe vivas* . Perrara quoque sunt paris amplitudinis antiqua pocula , quum vix duo aequalia usque adhuc numerentur apud Bonarrotium de Vasc. vitr. Tabula xxx. et xxxi. quae Vir longe doctissimus , quamquam hoc testimonio destitutus , inter calices computavit ; illos nempe , qui Circensium Victoribus a fautoribus dono dabantur . Id etiam Graecis Athletis aliquando factum esse demonstravimus in Notis ad domesticas Lucernas Lib. I. circa finem : Haec vero donaria , ut luculentiora forent , in eam amplitudinem , plane quodammodo pompaticam , dilatari conveniebat . Licet enim communia pocula ad familiarem usum adcommodata longe minora essent ; in solemnibus tamen conviviis , ac caeremoniis longe ampliora adhibita sunt ; meminit enim Plinius Lib. xxxvii. 2. *capacis plane ad sextarios tres calicis* : et apud Apuleium in Miles. memo-

rabiles : *Ampli calices variae quidem gratiae , sed pretiositatis unius* describuntur . His adcredit Iuvenalis Satyr. X.

— *Et lato Setinum ardebit in auro :*

Et Virgil. Aeneid. Lib. I. vers. 724.

Crateras magnos statuunt , et vina coronant :

et Aeneid. Lib. III. vers. 525.

*Tum pater Anchises magna cratera corona
Induit .* —————

Huiusmodi fuisse etiam ex crystallo memorat idem Iuvenalis Satyr. VI.

Grandia tolluntur crystallina . —————

IV. Quemadmodum in reliqua supellectile, ita et in scyphis curiose ornandis Antiqui fuere studiosissimi . Quapropter saepe legimus insculpta in calicibus FORTIA FACTA PATRVM , Homericas pugnas , gesta Alexandri , Herculis facinora , atque alia huiuscemodi , quae non modo gratiam vasculis conciliarent ; verum etiam convivas instruerent , ut ex ipso laetitiae instrumento virtutum exempla haurirent . Inter cetera vero emblemata illud nobilissimum habitum est , quod ad fiderum scientiam adluderet ; quapropter idem Virgilius Ecloga III. vers. 36. gemina pocula nobis describit , in quibus insignium Astronomorum icones expressae erant :

————— *Pocula pozant
Fagina , caelatum di-vini opus Alcimedontis :
In medio duo signa , Conon : et quis fuit alter ,
Descripsit radio totum qui Gentibus orbem ?
Tempora quae messor , quae curvus aetator haberet ?*

Hanc

Hanc quidem descriptionem sapientissimus Vates facile ab exemplaribus tunc Romae in pretio habitis, mutuatus est: quae sane, si ad nos usque pervenissent, non aliter Cononis, atque Arati imagines in scyphis sculptas videremus, quam quod in hoc vitro horum alter depictus est, caelesti Globo pone conlocato, tanquam studii et professionis symbolo, atque instrumento: nemoque negaverit potuisse huius vitri Artificem, vel pocula Vergiliana imitari; vel prototypa illa, ex quibus ipse Vergilius descriptionem mutuatus est, atque, ut se pastoralibus moribus conformaret, quae fortasse ex materia pretiosa constabant, in fagina conmutavit. Ceterum id argumentum ab Astronomia petitum obvium in scyphis esse debuit, adeo ut Anacreon quum argentei poculi formam Vulcano praescriberet, potissimum caverit, ne quid tale nimis serium et horrificum inculperet. Lepidissimam, atque elegantissimam eius Carminis Latinam versionem nondum antea editam perlubet heic adiicere, a FLAMINIO RATIO factam; de quo alibi plura de eo diseret Clariss. Gorius, qui eam mihi suppeditavit.

*Nunc torno facili mihi adlabora
 Argentum, Ignipotens, et inde finge
 Arma haud horrida: Mars ferox quid ad me?
 Poculum at mihi tam carum, ac profundum
 Fac, illo ut queat invenire nullus
 Aut carum magis, aut magis profundum;
 Inque ipso minus astra, plaustrave ulla,
 Orionave sculpita, occidendo,
 Ferentem pelago graves ruinas;
 Ecquid Pleiades mihi? mihi ecquid
 Curru noctivago nitens Bootes?*

Sed

*Sed vitem rogo lividis racemis
 Effingas mihi rite ; cumque Baccho
 Vna uvas socios simul prementes ,
 Amorem lepidum , meum et Bathyllum .*

V. Quia vero , ut ex Bonarrotio observavimus , ingentia haec pocula in Circensium honorem aliquando parabantur ; minime ab eo dissentirem , qui in eodem censu hoc nostrum Victorianum Poculum ex Vitro referre vellet ; nam licet in eo nulla spectaculorum indicia deprehendantur ; ipsa tamen caelestis Globi imago ad Circum facile adludit , in quo omnia mystice ad caelestis Sphaerae partes , ad sidera , atque anni tempora adludebant , iuxta vetus Epigramma .

*Circus imago Poli , formam cui docta vetustas
 Condidit , et numeros limitis aetherei ;
 Namque duodenos ostendunt ostia menses ,
 Quaque meat cursum aureus astra inbar .*

Quae omnia singillatim a nobis explicata sunt in iisdem Notis ad domesticas Lucernas Lib. III. quo in loco plurimae ex his referuntur , quae ad Circi spectacula adludunt : et in Dissertatione eidem Libro praefixa *de Stadio Pisaurensi* , et demum in Notis ad *Hymnum Olympionicum* , quem in Palatio diximus , dum marmorea Statua FRIDERICI LANTII CARDINALIS sapientissimi , et rei nostrae litterariae amplificatoris , solempni ritu dedicaretur : quem pariter Latinis numeris a Iosepho Antonio Pintio Ravennate Viro litteratissimo redditum eo loci ob argumenti adfinitatem subiiciendum curavimus. Quaecumque interrim mens fuerit Vitrarii Artificis , quique huius crateris usus , quem
